This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

KAIS.KÖN.HOF BIBLIOTHEK
35.764-B
Alt-

S. A. 47. E. 130.

Digitized by Google

35764-B.

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIAE
CLERI ZAGRABIENSIS
CONTRA
REFLEXIONES
HIERONYMI SZABADHEGYI
ET
LADISLAI FOGASSI
EJUSDEM CLERI REFORMATORUM

Quod mihi sit nomen, Lector, perquirere noli,
Si CRIBRATOREM dixeris, hoc satis est.

PHILADELPHIAE
ANNO 1793.

Digitized by Google

Si facere nec infame fuit, nec puduit — —
Facta legi — nec pudeat, nec infame sit.

Ita Reformatores

Si scribere nec infame fuit, nec puduit — —
Scripta legi — nec pudeat, nec infame sit.

Ita Cribrator.

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
CAPITULUM ZAGRABIENSE.

Dum sub specioso reformationis Cleri Zagrabiensis titulo, honor vester in Aula Regia, in Cancellaria, in Consilio, imo per Regnum, qua patet, universum turpissime traducitur, dum nomini vestro, quod multis retro seculis integrum, atque illaesum constitit, infami scripto, per omnes Regni angulos sparso, macula inuritur, dum fama, atque existimatio non Capituli unius, sed Cleri universi, Hungarici aeque ac Croatici, in discrimen vocatur; ecquid tacetis? — Vestra, boni Viri, caussa primo loco agitur, vos in scenam producimini, in vos mentes omnium, oculique sunt conversi, et siletis? Quam, quaeso, praeposterae hujus taciturnitatis caussam in conspectu populi, defixos in vos oculos habentis, dabitis?

An criminum, quae vobis objiciuntur, conscientia vos reos agens silentium vobis imponit? — At id quidem nemo, qui Capitulum Zagrabiense aliquando vel a limine salutavit, sibi persuaserit. Fuere omni tem-

Digitized by Google

pore, et sunt adhuc in amplo hoc Canonicorum coetu viri scientiis, omnique virtutum genere conspicui, e quibus Ecclesia Hungarica sanctissimos Episcopos, Dicasteria Aulica, et Provincialia sapientissimos Consiliarios, Tribunalia Judices, aequi rectique amantissimos, Cathedra doctissimos Magistros, Seminaria Clericorum optimos Moderatores, non modo vetere illa, sed nostra etiam hac aetate acceperunt. Erant in inclito hoc corpore omni aevo viri, quorum munificentia, hic Ecclesia et altaria surrexerunt, illic Juventus Ecclesiastica sustentationem nacta est: hic pauperiorum Nobilium filiis de educatione, illic Parochis aetate, viribusque fractis de congruis vitae alimentis prospectum fuit. Nullum fere jam a seculis testamentum a Canonico Zagrabiensi conditum legitur, in quo quantulacunque aeris pars in pios, reique publicae utiles usus legata, conversaque non fuisset. — Et hic sacer coetus, hocce inclitum Collegium criminum ita procaci agrestique calamo objectorum reum se agnoscat?

Quid ergo est, quod vos in atroci hac tempestate mutos, et elingues facit? putatisne virum religiosum adeo modestum, ac omnis prope sensus expertem esse debere, ut ad impia quaecunque scomata in se, totumque sacrum coetum jacta, obticescat? parcite,

Digitized by Google

cite, boni Viri, id vero non virtus, sed vitium foret. Si enim vita contra quemcunque injustum aggressorem, ipsa natura duce, tueri, ac vim vi repellere obligamur; anne eum, qui nominis nostri famam vita ipsa pretiosiorem rabido dente rodit, inultum sinemus? Primos Ecclesiae Doctores, Augustinum, Hieronymum, Cyprianum, spectate; sanctissimos Orientis aeque, atque Occidentis Praesules, Chrysostomos, Ignatios, Athanasios, plurimosque alios intuemini. Quid? ipsum legis Christianae Conditorem vobis ante oculos ponite, an ii, cum a paganis, ab haereticis, a sceleratis criminum nunquam commissorum nefarie insimulabantur, siluerunt, silendoque reos sese agnoverunt? minime gentium! imo verbis scriptisque apologiis honorem suum injuste laesum palam, publiceque defenderunt, metuentes, ne, si tacerent, *scandala in populo nascerentur.*

Ita sane et vos cogitare deceret; neque enim hic vestra solum, sed totius Cleri causa agitur. Si vos ita scelestam, prouti Author asserit, vitam ducitis, si fures, si raptores, si concubinarii estis, si ab omni virtutis semita ita longe recessistis, macula neutiquam in vestro solum Collegio haerebit, afficiet illa et eos, qui e gremio vestri ad altiores Hierarchiae gradus evecti sunt, et eos, qui infra vos sunt, vestraeque quacun-

Digitized by Google

que demum ratione subjacent moderationi. Parum dixi. Infamiae, quae in vos conjiciuntur, pars ad reliqua etiam Regni Hungariae Capitula, utinam non ad Clerum universum, quemadmodum malevolorum mos esse solet, transferetur.

Verum enimvero, quaecunque demum ratio sit, nemo vestrum, ut video, se movet, — — *in mare nemo Hunc abicit saeva dignum, veraque charybdi Fingentem immanes Laestrigonas et Cyclopas.* Juvenal. Satyr. 15. — Ridet inultus quocunque in angulo Author, et forte jam nova parat jacula, quibus vos confodiat. Absit! — Ego profanus, ut vos dicere soletis, vestram hodie agam caussam. — Agam proprio impulsu, quia ita temerarie, et nefande honorem proscindi vestrum aegre fero; Agam hortatu quorumdam Parochorum, quos scientia, vitae sanctimonia, animusque solius veritatis studiosus amicos mihi jam dudum reddidit. Nullus me, ut scitis, nexus vobiscum jungit, nullum erga vos impellit officium, illo uno excepto, quod homo homini, si vita, si honor, si facultates in periculo versentur, praestare debet.

Exilem fateor, in me caussa vestra nanciscitur patronum; nanciscetur attamen sincerum; quem nec partium studium, nec amicitia, nec spes, nec ulla animi affectio a verita-

Digitized by Google

ritatis via, quam unam me sequi certum est, abducet. Si ex tenui hac opella alter fructus sequutus non fuerit, is sine dubio sequetur amplissimus, ut non optima Authoris indoles, nondum defecatum ingenium, noxii denique fines luce clarius elucescant, tum vero, ut vestrum etiam alicui exemplo nostro animus addatur, communem Capituli caussam defendendam suscipiendi, idque, quod in praesente elucubratione omissum, aut non sat nervose pertractatum fuerit, supplendi. Valete.

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
PROCERES NOBILESQUE REGNI CROATIAE.

Dum ad Plinium, Asiaticis Romanorum Provinciis Consulari cum potestate praepositum, graves adversus Christianos sub Anonymo deferrentur accusationes, is, quid ea in re agendum sibi esset, a Trajano Caesare consilium una, atque mandatum expetiit. Memorabile fuit aequissimi Imperatoris responsum, quo nempe vetuit, delationibus, tecto accusatoris nomine factis, aures praeberi. Existimabat enim justissimus Princeps, libertatem civium consistere non posse, si eorum vitam moresque suppresso nomine criminandi potestas cuicunque pateret. *a*)

Utinam hoc exemplum multi Regum nostrorum sequuti fuissent! utinam Ethnici hujus Imperatoris monitum alte cordi impressissent! quot praestantissimi viri in subselliis, quibus nulla sua culpa dejecti fuerunt, hodiedum manerent! quot Consiliarii, et Judices, quot familiae, gravem anonymis delationibus deferentium manum non sensissent!

Non

a) Sine auctore propositi libelli nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri seculi est. Plin. Jun. Epist. Lib. X.

Digitized by Google

Non ita Leopoldus II., non ita dignus Patre Filius Franciscus. Ambo, vix auspicato tot Regnorum, Provinciarumque regimine, ad cuncta Tribunalia, Curias, et Magistratus gravissimum dedere mandatum, ne libellis, quibus verum auctoris nomen praefixum haud esset, ullo unquam tempore, locove, locus daretur. Qua re conturbatis antehac civium animis, omnis pro futuro metus exemtus, spesque tranquillam dehine vitam agendi, postliminio restituta fuit.

Et tamen (quis non miretur?) ficti, nulloque Croatiae angulo cogniti Authoris *Szabadhegyii*, et *Fogassii* Reflexiones viam ad Cancellariam, imo ad ipsam adeo Aulam Regiam, non attento mandato tam solenni, invenere. Quid mirum, si boni cives, nova hac, atque inexspectata attoniti metamorphosi, aures arrexerunt, ac in novas iterum conjecti sunt curas? Quid mirum, si unius, et alterius ad quidvis audendum parati Authoris usque adeo crevit audacia, ut opus, quod antea scripto solum in Aulam penetravit, jam typis etiam vulgare, totoque Regno spargere religioni sibi haud duxerint?

Hoc ad complures Vestrum Illustres Patres, et conspicui equestris ordinis Viri! perlatum est. Perlatum sane, quin ullus Vestrum (quod liberalem vestram cogitandi agendique rationem expendenti mirari subit)

Digitized by Google

aut in Conventu publico, aut privatim contra noxia scriptoris molimina quidquam obmoverit. Imo vero inventi sunt (immites, aut improvidos, vel plane ignorantes dicam? nescio) qui scriptum ad tenebras damnandum in lucem protrahere, quaquaversum spargere, imo Capitulo turpissime lacessito insultare, atque afflictis afflictionem addere in solatio habuerunt.

Quae rerum conversio! fuerunt semper, suntque etiamnum in vobis Nobilissimi viri! et acuto ingenio, et animo liberali, et insigni humanitate non pauci, qui communem Patriae felicitatem perinde, ac privata singulorum commoda, e quibus illa coalescit, tam solerter tueri consueverunt, ut ne agrestis quidem aut alterius neglectae conditionis hominem opprimi passi sint, et Capitulum, dum inaudita licentia prostituitur, omnium opem studiumque desiderabit? An fortasse Ecclesiastici, quia Ecclesiastici, fratres, cives, homines esse desierunt, ut eorum salus famaque minus curae esse debeat vestrae? Sedent in Comitiis nostris, pollent suffragiis, in partem consiliorum, curarumque vocantur, et eorum existimationi tam grave infligi vulnus patimur?

Sinite quaeso Patres conscripti! ut inglorio huic silentio modum ipse, finemque imponam, ne in tanto hominum ingenio valen-

Digitized by Google

lentium numero justae causae patronum defuisse et Fratres nostri, palam publiceque lacessiti, tacite ingemiscere, et exteri juste nobis oggerere valeant. Nec ad vos universim, verum ad eos, qui alieno periculo laetantur magis, quam commoventur, haec, quae dicturus sum, pertinere existimate. Opus enim est, his famosi libelli patronis, quid sit Capitulum Zagrabiense, si obliti sunt, in memoriam revocare, sin ignorant, utramque in aurem dicere. Ita enim futurum speratur, ut et illi, quid rei sit, edocti, humanius cogitare discant, et vos, quibus ingenium, sensumque humanitatis natura indidit, laudabili nostro conatui sociam adjungatis operam, vestroque exemplo palam omnibus fiat, e re quidem publica esse, abusus, si qui quacunque societatis civilis in parte irrepsissent, opportunis remediis adhibitis, corrigere, at non cives jugulare, non publico exponere despicatui.

Quid ergo est Capitulum Zagrabiense? — Est Coetus virorum ecclesiasticis dignitatibus conspicuorum, qui e vestris unice filiis componitur, et in quo vestri aliquando filii, et nepotes honoratam vitae sustentationem invenient. Hos igitur viros, a quocunque concivium vestrorum laedi, in hujus eversionem conspirare quid aliud est, quam in vestra viscera saevire?

Digitized by Google

Quid est Capitulum? — Est Collegium virorum, quod Patriae vestrae innumera, maximaque nullo non aevo attulit emolumenta. Aspicite Academias, Gymnasia, Collegia, Nosocomia, Seminaria Cleri, Convictus Nobilium, Ecclesias, Altaria; ubique vestigia munificentiae Capituli Zagrabiensis in oculos incident. — Quod si Bani, si Capitanei, si Vaivodae Patriam strenue defenderunt, at quaero, non defendit et Capitulum? non fudere Canonici Zagrabienses sanguinem pro Patria? non sacrificarunt bona? non thesauros profuderunt?

Quid est Capitulum? — Est asylum pauperum, viduarum, et pupillorum, quibus illic occulta saepe manus beneficia distribuit. Ea enim est honesti viri indoles, ut benefacere gloriosum, benefacta jactare vile reputet. — Est publicum diversorium, in quo non amicus modo, sed ignotus etiam peregrinus, undecunque veniat, mensam, et hospitium invenit. — Est emporium, ex quo tot centeni artifices, mercatores, institores vitae media accipiunt, eo sublato inediam passuri. — Est Officina monetaria, in qua pecuniae coacervantur, quibus multae familiae e pulveribus emergunt, multi a stiva ad consortium virorum nobilium transeunt, multorum res domestica paulo angustior sublevatur.

Quid

Digitized by Google

Quid est Capitulum? — Est ea Civium classis, quae in parvo Croatiae Regno, ipso Reflexionum Authore teste, *sexaginta* florenorum millia in annos singulos consumit, dum multi alii sudores rusticae plebis, aesque e bonis Croaticis erutum in exteras bajulant regiones, alii vero pro vittis mulierum, omnisque generis naeniis tot millia florenorum in oras exteras quotannis vel efferunt, vel mittunt.

Denique quid est Capitulum? — Est universalis, isque unicus Croatarum collybus, in quo Magnates, et Nobiles, quoties necessitas premit, mutuas quaerunt, et accipiunt pecunias. Obstruite hunc fontem, et multi, credite mihi, siti necabuntur. Nam quis quaeso deinceps, dum executio bonis imminebit, tot praeclaris Patriae civibus opitulabitur? quis usuras, etiam decennio neglectas, cum patientia exspectabit? quis ita facile, uti Capitulum, plurium licet annorum litibus defatigatum, se se exorari sinet? — trepidate vos, qui jam collotenus debitis immersi estis, trepidate, si Capitulum unicum vestrum refugium, uti *Szabadhegyius* contendit, dispersum, sublatumque fuerit. Incidetis in manus Fundi Religionarii, qui cum sit ens vita carens, nec cor habet, nec oculos. Incidetis in fundum, vere profundum, ex quo emergere

Digitized by Google

— — — superasque evadere ad auras, hic labor, hoc opus est.

Et in hujus Coetus, tam utilis, tam nobis necessarii, ruinam tendunt nostri, si tamen nostri popularis *Szabadhegyii*, ejusque individui socii conatus, nec tamen obsistimus? videte, videte o Proceres, Nobilesque, ne quid oppressis sociis vestris, magna olim, nunc temporum vicissitudine parva vestra Respublica detrimenti patiatur, aut prorsus concidat. Imo concidet, nisi omnes, et singuli cives ita animati fuerint, ut positis odiis, missaque aemulatione, alter alterius conservationi studeant. *Concordia enim res parvae crescunt, discordia maximae collabuntur.* — Hoc vos monet, hoc orat amicus, gentilis, cultor vester, qui nunc non tam Capituli, quam vestrae caussae defensor, et patronus in Publicum prodit. Alte enim impressum animo suo illud habet Ciceronis monitum: *Qui non defendit, non obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat.* a)

PRAE-

a) Cic. de offic. L. I.

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
PAROCHOS DIOECESIS ZAGRABIENSIS.

Vobis etiam, viri Apostolici, qui in vinea Domini naviter operamini, pars una praefationis dicanda est. Vestram enim caussam praeclarus, si Diis placet, commilito vester Hieronymus vestro glorioso nomine agendam suscepit. Hoc enim ni fecisset, monstrosus ejus partus jam dudum, ipsius Principis voluntate, ad rogum condemnatus fuisset.

Sed dicite quaeso, an Venerabilem Canonicorum Zagrabiensium Ordinem infra scurras, et calones deprimendo caussa, quantumvis justa, defenditur? estne ea vestra sententia, ut viri, quos omni tempore venerari assuevistis, vilissimae *Zingarorum* feci, Civitas autem, quam incolunt, *Sodomae*, et *Gomorrhae* aequiparetur? vestrone consensu furta, rapinae, concubinatus, adulteria, atque inaudita alia scelera confratribus vestris attribuuntur? vestrane doctrina admittit, occulta crimina (posito etiam, si quae in Venerabili illo Clero reperirentur) in lucem produci, totiusque orbis obtutui proponi? — Absit, humanitas, quae vobis connata est,

prin-

Digitized by Google

principia, quibus innutriti estis, caritas, quam factis, et verbis praedicare debetis, Lex Christi, cui velut normae quasvis vitae actiones accommodare consuevistis, vel ab umbra impiae hujus suspicionis vos absolvunt. Si enim aliter sentiretis, profecto satius foret, Brachmanes, et Bonzios ex Indiis evocare, quam vos in Apostolico, quod geritis, munere tolerare. Satius fana, et delubra Paganorum, aut Judaeorum Synagogas frequentare, quam templa, quibus praeestis.

Nemo negat, multorum e vobis acerbam esse sortem. Dum enim noctes diesque docendo, sacramenta administrando, aegris assistendo, verbum Dei praedicando consumitis, infra statum depressi quotidiano saepenumero rerum necessariarum defectu laboratis. Ita fit, ut cum aliis ad satietatem usque panem frangatis, ipsi vix micis stomachum non tam satiare, quam eludere possitis. — Atque ut vel tantillum vivendi modum vobis vestrisque domesticis paretis, quot curae subeundae, quot noctes insomnes exigendae sunt! Plus saepe temporis afflictus sacer Curio in stabulo, aut in agro, quam in cubili exigit. Libri, quos legere deberet, toto anno pulveribus obsiti jacent. Cathedram imparatus saepe conscendit, dicitque ad Populum, quod primo in mentem venit, non quod attento, recollectoque prius animo ruminatum est. —

At-

Digitized by Google

Atque ideo nemo unus est, quin videat, quanto opere necessarium sit, imo ipsius etiam publicae intersit rei, ut honoratae Parochorum sustentationi prospiciatur.

Sed quae sunt media ad magnum hunc finem perveniendi? an ut Canonici Zagrabienses in omnes orbis partes, uti Judaei olim, dispergantur? Bona eorum adimantur? Capitula, ipsa etiam in Hungaria, abrogentur, aut imminuantur? atqui ita suadet Hieronymus vester. Papae! magnum vero Consiliarium! dignum certe, quem Rex ad arcanum adeo Aulae suae Senatum evehat! Hoc, hoc est, Regibus sana consilia dare! uni vestem detrahere, ut alter amictus incedat, uni vitam adimere, ut alter vivat. — Apage! hoc nec aequitas, nec humanitas, nec ratio suadet; *Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem.* a) Quid? hoc nec vos o boni Parochi! (notus enim est vester animus) desideratis, nec desiderare potestis. Et ideo dum tam impia consilia in apricum profert Hieronymus, causam vestram non agit, sed perimit, Principis, quem Tyrannum cuperet, aequitate abutitur, vobis, a quorum animis vel umbra injustitiae abest, palmarem infert injuriam.

Ad-

a) Cic. de Offic.

Digitized by Google

Adsunt, adsunt profecto, alia ipsis in Legibus praesidia, quibus calamitati vestrae subveniri poterit. Sinite hanc curam aequanimo Principi, tum dignissimo Praesuli vestro, et Patribus Patriae, quos nunc Pestini congregatos magnum dotationis Parochorum opus occupat. Invenient illi fundum, statuent modum, quo necessitatibus vestris aliqua saltem in parte prospiciatur.

Quae cum ita sint, vos dignissimi Curiones majorem in modum obtestor, ne quis vestrum, dum indignum vestro coetu Hieronymum in sequentibus paginis, pro eo, ac promeritus est, cribrari viderit, quocunque nobis modo succenseat. Vestrum enim coetum, tanquam Reipublicae utilissimum, colo, et veneror, dum feculentum Hieronymi scriptum virga censoria feriendum suscipio. Valete.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD
AUCTORES REFLEXIONUM.

Hactenus seria. Lubet jam animum paulisper laxare, atque tecum primum Hieronyme *Szabadhegyii* Reflexionum fabro, tum vero tecum *Fogassi* Ladislae, qui opus adeo eruditum non minus eruditis notis illustrasti, ludere. Dum enim vos nobile par fratrum! antiquissimum celeberrimumque Canonicorum Collegium arietibus, et balistis oppugnantes conspicor, ita mihi videtur, quasi ad regionem Liliputaeorum venirem, ibique homines unius spitamae arces assultu capere velle viderem. Itaque animus mihi paululum residet. Pene enim risu mihi rumpuntur ilia.

Reformationem Cleri Zagrabiensis pro scopo tibi sumsisti Hieronyme. Argumentum sane grave, in quo fortissimus quisque experiri possit:

— — — — Quid ferre recusent, quid valeant humeri.

Et quia, quemadmodum ex inficeto tuo opere luculenter apparet, nec ingenium tibi natura tantum, nec vires dedit, ut opus tanti momenti qualicunque cum successu vel auspicari, nedum ad finem deducere posses, en

Digitized by Google

facilitatem meam. Ego ipse tuam humeris meis succollare imbecillitatem, teque in labore usque adeo arduo, ut virum decet, adjuvare volo.

Quisquis Clerum Zagrabiensem reformare in animum inducit, is ad radicem securim ponat, necesse est. Inde adeo necessarium mihi videtur, ut a te ipso, tuisque, si quos habes, tuae sententiae sociis grande reformationis opus occipiamus. Hoc enim, quamvis id mihi vix promittere ausim, feliciter si successerit, tum vero ad Capellanos et Parochos, inde ad Capitula progredi licebit. Experiamur ergo vires nostras, et aethiopem, quem ante nos habemus, lavare incipiamus.

Primum mi Hieronyme! Reformationis caput, mea quidem sententia, illud esse debebit, ut ex te hominem formemus. Homo enim in naturali suo statu consideratus est animal mite, sociale, innocuum. Quamprimum aliqua natio, aut quispiam hominum, ferox, intolerans, insociabilis evadit; quamprimum alios sibi consimiles rabido dente impetit, mordet, lacerat, is jam a naturali suo charactere discedit, atque ad belluas propius accedit. Imo ipsis adeo belluis pejor fit. Etenim

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
unquam, nisi in dispar genus.

Esto

Digitized by Google

Esto ergo, mi Hieronyme, ante omnia homo, qui ratione, non impetu regitur. — Quodsi semel homo fueris, proximum erit, ut bonum ex te civem faciamus. Jam enim dudum homines ex naturali suo statu ad civiles transiere societates, quarum primarius finis est, ut praeter commoditatem, securitate insuper vitae, bonorum, famaeque unusquisque, qui in politica societate vivit, gaudere possit. Lege igitur regimur omnes, qua actiones omnium, et singulorum ad communem societatum scopum diriguntur, ne effraenis licentia vel vitae aliorum insidietur, vel in proprietatem bonorum involet, vel denique nominis famam laedere audeat. Tu ergo, Hieronyme, qui posthabitis humanis, et civilibus legibus Fratrum tuorum honori insidias struis, homo et civis ut fias, necesse est.

Hoc utrumque si feceris, jam tum te baptizabimus, et, si conatibus eventus respondere potuerit, Christianum ex te faciemus. Sed scin, quaenam post cultum supremi Entis prima, ac suprema Christianorum lex sit? — Charitas erga proximum. Charitas? ita sane! *Si enim linguis hominum loquar, et angelorum, — — Si habuero prophetiam, et noverim omnem scientiam, — — charitatem autem non habuero, nihil sum.* — Sed quid est charitas? *charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit*

Digitized by Google

perperam, *non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Quisquis igitur, superbia tumidus, fratrum suorum honorem maculaverit, peccata, quae in abdito fiunt, retexerit, bonis eorum inhiaverit, is Christianus non est, sed umbra, sed simulacrum Christiani.

Esto ergo Hieronyme Christianus non modo nomine, sed et re. Ita tandem, quod felix, fortunatumque sit, ex te virum Ecclesiasticum, et ex viro Ecclesiastico Parochum formandi spem concipere poterimus. Quem finem ut tanto assequamur certius, ne te ad intima eminentioris Theologiae adyta deducere necesse sit, en Casuistas interea aliquot, non quidem recentiores illos, sed plerorumque Parochorum manibus jam dudum tritos, Tamburinos, Antoinios, Reiffenstuhlios, legendos tibi tradimus. Lege sis materiam de *Detractione.* Licetne alterius famam laedere? estne Christiano integrum occulta aliorum delicta in publicam protrahere lucem? quid illud sibi vult: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum?* potestne is a crimine solvi, qui alterius existimationi verbo, aut scripto fenalem inflixerit ictum? quid? famosis libellis editis in fratres grassari, estne permissum? haec tu Hieronyme, collecta mente, attentoque animo cogita, his animum tu-

Digitized by Google

tuum imbue principiis, ac tum demum glorioso Parochi nomine te dignabimur.

At at! tu ad honoratum insuper authoris nomen aspiras. Hac etiam in parte ingenti reformatione opus habes, itaque auxiliatricem et hic abs me merito exposcis manum. Sit ita, et hanc tibi subtrahere nolo.

Primum ergo (noli quaeso erubescere) ad grammaticam te remittere debeo. Opus enim, quod praecoci partu in lucem effudisti, tot grammaticis erroribus, tot soloecismis, tot croatismis scatet, ut, qui te non novisset, is grammatices candidatum te existimare posset. Quocunque oculos convertas, ferreae illius aetatis informis barbaries prospicit. Hic *mercantiliter*, *cathedraliter*, *partialiter*, loqueris; illic *theologizas*, et *authorizas*; hic *collariis*, *collariolis*, et *collarinis* te ornas; illic in *Bekess*, et *Palendrana* incedis, hic liberum tibi esse putas pro dignitate *competendi*, illic scripta tua in *biperis* deportas, aut in *vecte* devehis; hic denique sic *lucent* tua opera, ut *odorem* spargant amaenissimum.

Proximus gradus ad eloquentiam esse debebit. Sed enim hic mihi Brontium, Steropumque brachiis opus futurum praevideo, ut ex informi massa formam aliquam humanam producere, atque emalleare possim. Quid enim famosus tuus libellus aliud est, quam

Digitized by Google

— — — *rudis, indigestaque moles,*
nec bene junctarum discordia semina rerum a)

Atque ideo, cum spes non sit, ut intra exiguum temporis spatium *latine, plane, ornate, apteque* et *congruenter*, ut Quintilianus requirit, dicere scribereque possis, optimum futurum judico, ut, quod multi alii fecere, trans eloquentiae studium *saltando*, recta te ad limina Logices deducam. Ut enim authoris nomen cum dignitate sustinere possis, primum et ante omnia in mysteriis Logices *Barbara, Celarint, Darii, Ferio, Baralipton* initiatum te esse oportet. Discendum praeterea est, quid sit Analysis, et Synthesis? quae syllogismorum forma? quae idearum in cerebro coordinatio? secus enim quadrata rotundis miscebimus, scopis dissolutis aream litterariam verremus, denique Augiae stabulum omnis generis fimo repletum repurgandum suscipiemus.

Ecce Hieronyme, sic omne reformationis opus a te primum, non a Capitulo Zagrabiensi, initium sumere debebit. Praeposterum enim foret, si facta aliorum carpere velles, quin antea videas, *quid tibi manticae a tergo sit.* Ridiculum esset, ipso illo, qui primus lucem Evangelicam orbi intulit, teste, ut in oculis aliorum *festucam*, in tuis autem ne ingentis quidem molis *trabem*, trabem quercu etiam

a) Ovid. Metamorph.

Digitized by Google

etiam maxima majorem non videres. Interim in decursu operis plura adhuc, mi Reflexionarie, ex me audies, quae spero felicem illam catastrophen producent, ut te deinceps hominem, et civem agnoscamus, Christianum, et Ecclesiasticum amplectamur, denique inter authores qualecunque, etsi ultimum, tibi subsellium non gravate cedamus.

Reliquum esset, ut te Ladislae *Fogassy* ad cribrum aeque ac intimum tuum socium poneremus. Sed parcimus tibi. Primum enim ut ex NOTIS tuis observare licet, tu talarem non gestas, deinde plus in te ingenii, quam in sodale illo tuo suspicimus. Utinam vero tu ingenio, quod natura tibi dedit, et ars paululum perpolivit, plus prudentiae, plus moderationis adjunxisses. Ita enim scarabaei instar alimentum non quaereres, neque cum homine, cui omnia jura humana, et divina conculcare nihil est, sociam jungeres operam. Ita nomen *Fogassii*, id est lingua Hunnica: *Dentati* ipse tibi haud imponeres, neque unum idemque os cum socio in praesens roderes. Hoc tibi interea satis esto, firmiterque tibi persuadeas velim, viro docto, et honesto indignum esse, cujuscunque famam publico scripto laccessere. Valete nobile par fratrum.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTORES.

Quinta haec Praefatio ad vos Lectores, ad quorum manus exile hoc cribrum perveniet, spectat. Huiá quinta Praefatio? hoc insolitum, imo ridiculum! — Ita sane, non nego: nec quid excusationis in medium adferam, scio, praeterquam, ita mihi placuisse. Et quis authori libertatem non modo scribendi, sed normam etiam scriptionis sibi deligendi negare audebit, dum totus orbis *agendi* libertatem sibi arrogat? — Nolim tamen quisquam vestrum credat, id absque omni prorsus ratione factum fuisse. Enimvero conveniens mihi, imo necessarium videbatur, ut priusquam in tanti momenti caussa, quam defendendam suscepi, in conspectu Populi rostrum conscenderem, primum quidem cum clientibus meis consilia conferrem, tum autem, ut fit, Procerum Nobiliumque e tribus Regnis pro judicanda tanti momenti lite congregatorum gratiis ac favoribus me, et meos clientes *humillime* commendarem. Quid? quod et urbanitatis lex id a me postulare videbatur, ut adversarios *Szabadhegyium*, et *Fogassium*, quibuscum pugna mihi ineunda erit, ipso in limine salutarem, ut vel hinc luce cla-

Digitized by Google

clarius perspicere possint, me non *personae* eorum, sed *caussae* inimicum esse.

Quod autem ingentis, atque inauditae hujus litis substratum, ut ajunt, sit, non est, cur id vobis Lectores de novo explicem. Satis id titulus operi praefixus, tum ipsae hae multiplicatae Praefationes ostendunt. Ut autem et animus vobis constet meus, declaro, me ad quaestionem, an Clerus reformatione opus habeat, nec ne? hoc loco neutiquam ingredi. Neque enim id ad me, qui privatos inter parietes sedeo, et, quid Patres deputati Pestini agant, e publicis tantum novellis disco, pertinere potest. — Is solum praesentis operis scopus est, ut ostendam, reformationem non pugnis, sed ingenio, neque a viris

Boeotum in Patria, crassoque sub aere natis,

verum talibus, quos necessariis ingenii dotibus natura distinxit, ars formavit, longusque rerum usus docuit, suscipi, et posse et debere: tum autem, ut Canonicorum Zagrabiensium famam, faedissime maculatam, in vestro, totiusque populi conspectu, quoad ingenii mei vires admiserint, vindicem. Qua in re fidenter dico, me ab omnibus totius orbis Advocatis, caussarumque patronis, quam longissime discedere. Cum enim illi ad patrocinium caussae non secus, ac requisiti, nec alia conditione, quam ut mercedem la-

bo-

Digitized by Google

borum referant, accedere soleant, ego neque requisitus, neque lucri ullius spe grave hoc, sed una dulce, et gloriosum onus in me assumsi. Quid enim dulcius homini accidere potest, quam hominem afflictum solari? quid dignius, quid gloriosum magis civi, quam civem injustissime oppressum defendere?

At fortasse et id scire percupitis, cur ego me *cribratorem* nominaverim? ecquidem, puto, Aedipo vobis eam in rem minime opus esse. Qui enim *Szabadhegyii Reflexiones*, verius cavillationes, vel primo obtutu perspexerit, quid aliud, quam monstrosam rerum discordantium compagem videbit? Fabulae, scomata, arces in aere, lineae in arena, farrago rerum omnium, confusum chaos undique, et undique se offerent.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus.

cribro igitur erat opus, ut ex tantis quisquiliis, ex tam rudi, indigestaque mole, vel aliquod sani cerebri granum extundi separarique posset. Sed enim et hac in re proh dolor! oleum et operam perdidimus. Post longam enim, et laboriosam cribrationem quid remansit? paleae, feces, excrementa.

Conati tamen sumus, quantum humanitus fieri potuit, ut ex hac ipsa informi massa, vel aliquem in responso nostro ordinem, vel ali-

Digitized by Google

aliquod systema, ne benevoli nostri Lectores legendo prorsus obdormiant, educeremus. Inde adeo totum hoc opus in duos digessimus Libros; in primo comparet heros *Szabadhegyius* cum individuo suo sodali *Fogassio*, ut *Projectans*, in alio ut *Legislator*. Favete linguis Lectores, et videte, quomodo novus hic litterati orbis heros, una cum suo, suique simillimo armigero *Fogassio*, in utroque se produxerit? an scopum sibi praefixum, vel a longe attigerit? aut an non uterque in suscepto Dramate, in primo quidem actu, dicacissimi *Zoili*, in alio vero non tam risu quam commiseratione digni Comici personam luserint?

In finem operis adjungetur, si Diis placuerit, instar appendicis, *forma* libelli supplicis, quocum Parochi, Congruae suae augmentum petituri, Regis Francisci in praesentiam majori cum dignitate, quam *Szabadhegyius* proposuerit, comparere posse viderentur; tum *scenographia*, seu *planum*, quo modus, fundusque futurae Parochorum dotationis breviter indicatur potius, quam secundum omnes circumstantias describitur. Cum negotium dotationis Parochorum ex ipsa rei natura, fundique defectu; qui nunquam hactenus expleri potuit, difficillimum, summeque implexum sit, facile mihi persuadeo,

Digitized by Google

deo, imo palam publiceque agnosco, me in eo expediendo vix mediocriter, imo ne sic quidem, versatum esse. Apparebit tamen et hoc ex conatu nostro, nos, si non potuimus praestare tantum, quantum voluimus, praestitisse tamen tantum, quantum potuimus. Etenim

In rebus magnis vel voluisse sat est. Unum adhuc est, quod hoc loco speciatim monendum, idque antevertendum existimo, ne quis vestrum, Lectores, ex identitate nominum in errorem prolabatur. Duo enim (mirabile dictu) sole sub Austriaco existunt Hieronymi *Szabadhegyii*, pares ambo nomine, ceteris omnibus rebus, forma, verbis, manu, ingenio dispares. Cogitare debetis, duos ante vos positos esse *passeres*, unum exterum, *Canariensem* a loco nativitatis vulgo dictum, alium domesticum illum, nemini vestrum ignotum. Ille candidulus, glabrellus, rostro rubello, pedunculis delicatis, iste fusci coloris, hispidus, flavo rostro, pedibusque subatris: illius suavis vocula, amaene modulans, aures demulcet, hic ingrato stridore ipsis avibus odiosus: ille docili ingenio modulos cytharellae, non sine voluptate audientium, suavissime imitatur, hujus raucum guttur nulla arte flecti potest: ille petulcientes pullos, si forte senioribus escam praeripere velint, expansis

alis

Digitized by Google

alis modeste *everberat*, atque universim innocuum animalculum est, hic vel ideo, quia domesticus, perniciosior sata et segetes devastat. Ut ergo sciatis, Lectores, in toto hoc opere non exterum illum passerem, sed domesticum, illum nempe Hieronymum *Szabadhegyi*, qui Reflexionum author est, persequi, capere, vobisque deplumandum proponere, nostrum est propositum *a*).

Tantum est, quod vobis Lectores benevoli! dicere me debere existimavi. Nunc preces adjungo, ut opusculum hoc, quantulumcunque est, aequo accipiatis animo, ac si vel in stilo, vel in ipsa orationis coordinatione quid incomtum, quid non satis deductum videritis, benevole excusetis. Totum enim opus tumultuario labore octodecim solum dierum spatio consurrexit mihi, aliis negotiis impedito, ac ipsa etiam valetudinis reparandae, tuendaeque cura occupato. Vale-

a) Ortis inter juniores et seniores Canonicos Zagrabienses nonnullis quoad distributionem proventuum controversiis prodiit in Hungaria authore Hieronymo *Szabadhegyi* sub titulo *Everberationis* libellus, quo juniorum Canonicorum argumenta modeste refutantur. Cum ad scopum nostri operis quaestio, quaenam duarum partium litigantium rectum teneat, nullatenus pertineat, cumque nos defensionem totius Capituli Zagrabiensis citra discrimen seniorum et juniorum Canonicorum assumserimus, facile quivis intelligit, Hieronymum *Szabadhegyi*, *Everberationis* authorem, toto hoc opere ne una quidem syllaba tangi.

Digitized by Google

lete. Dabam in Regno Croatiae, ea in parte, quae Orientem respicit, secunda die undecimi mensis anno ab orbe condito 5792.

Amicus hominum Cribrator
m. p.

LI-

Digitized by Google

LIBER I.

Szabadhegyius et Fogassius comparent ut projectantes.

Posteaquam e vasto, scopulisque pleno quinarum Praefationum oceano tandem Diis propitiis ad coenosas quidem, tutiores tamen Reflexionum Szabadhegyianarum paludes, feliciter emersimus, jam nunc iter, quod nobis proposuimus, pacatiori animo ingredimur, cymbamque flantibus favoniis eam in regionem, qua portus est, fidenter convertimus.

Ei, qui libellum magni nostri Hieronymi iterum, atque iterum legerit, suasque paulisper ea de re considerationes instituerit, minime opus est meditatione, ut, quem is sibi scribendi finem praefixerit, mente assequatur. — Eo nimirum omnes ejus cogitationes, studia, et conatus tendunt, ut Parochis, cunctisque iis, qui circa eos versantur, a Vicearchidiacono usque ad infimum campanatorem, bene sit; ut Parochi, si non opinam, certe quidem honoratam vitae sustentationem obtineant, ut eorum honor, atque existimatio non modo contra vim om-

Digitized by Google

omnem defendatur, verum novis etiam accessionibus incrementum capiat, ut denique commoda, et praerogativae, quibus hactenus forte caruere, iis procurentur, hoc est, quod Hieronymus sibi primo loco proposuisse videtur, neu de ejus fide quidquam dubitemus, etiam reapse proposuisse caece credimus.

Quis est adeo vel rerum ignarus, vel impius, quin hunc authoris scopum, sanctissimum sane, et non laudet quam maxime, et suo etiam voto non approbet? si quid, hoc certe Reipublicae plurimum interest, ut ad viros, quorum curae spirituale populorum moderamen concreditum est, praecipuum convertatur studium, nihilque praetermittatur, quod quidem ad sortem eorum faciliorem, commodiorem, melioremque reddendam quaqua ratione pertinere possit. Parochi enim per oppida, vicos, et pagos sparsi, in medio illius civium classis, quae uti numerosissima, ita utilissima est, versantur. Ab eorum exemplo, doctrina, moribus, salus populi, instructio rudis plebis, ordo, pax, tranquillitas, omnium denique felicitas plurimum dependet. Verum enim, atque indubitatum illud est: *Qualis pastor, talis grex.* Quapropter merito laudandus est hac in parte authoris *Szabadhegyii* animus, qui nempe communem fratrum suorum caussam

in

Digitized by Google

in Regis, populique totius conspectu agendam tuendamque suscepit.

Sed videamus, an apta ad eminentem hunc scopum media exquisiverit? an materiam adeo gravem pari gravitate, modestia, et integritate pertractet? an commodis Parochorum procurandis augendisque ita prospectum eat, nemini alteri ut noceat? aut an non fors communi fratrum suorum caussae imprudenti suo scripto plus nocumenti, quam utilitatis attulerit? an non denique longe sapientius ab eo factum fuisset, si tacuisset, atque negotium tanti momenti viris, quorum ingenium magis tersum, animus magis purus, voluntas minus inquieta, conscientia magis delicata esset, tractandum, proponendumque reliquisset. Atque hoc est, quod publici, sed praesertim vestra o Parochi! nosse interest. Hoc est, quod ego sincerus cultor vester sequentibus aliquot Paragraphis, integra fide, omnique cum candore exequi adnitar. Faciamus ergo initium.

§. 1.

Author Szabadhegyius Regis benevolentiam captat, eique — minatur.

Ut caussam suorum clientum tanto certiori cum progressu defendere possit Hieronymus, Regis benevolentiam primo loco ca-

Digitized by Google

ptandam, tanquam sagax, emunctaeque naris orator judicavit. En verba illius.

Pag. 3). „ gloriosissimorum Monarcharum, et coronatorum capitum in cunctis „ historiis ea hactenus sapientissima exstitit „ oeconomia, non semper in alta cogitationes suas attollere, sed aliquando Majestaticae gubernacula procurationis etiam ad „ MINORA, hoc est ad Populum, Parochos, plebemque inferiorem ipsis subjectam „ dirigere. „

Parce Hieronyme, tu primo statim in limine enormiter cespitasti. Quid enim est Rex? quid Populus? — Quis Reges constituit? Populus. Quam ob causam gloriosum hoc nomen Reges gerunt? nempe ut Populum juste, sapienterque regant, atque ad communem societatum finem, quae est felicitas, ducant. Ergo Rex propter Populum, non Populus propter Regem est. Injuriam igitur *Szabadhegyi!* et Regi, et Populo infers, si majus aliquid in oculis Regis esse posse supponis, quam Populus sit.

Pag. 4.) „ Subditali perpetua fiducia speramus fore, partem sollicitudinis Majestatis „ Vostrae Sacratissimae non in eo solum posi„ tam, ut Ministerium suum videat, ac recte in„ stituta Dicasteria habeat, Magnates tantum, „ et Episcopos audiat, qui latus Majestatis Ve„ strae stipant, iisque benefaciat, sed et multo

„ ma-

Digitized by Google

„ magis, ut inferioris Cleri, Populique, qui pro-
„ cul a Majestate Vestra distat, nec aditum ad
„ Majestatem Vestram facile habere potest,
„ necessitates in clementissimam reflexionem
„ assumere, iisque providere ante omnia di-
„ gnaretur. „

Ohe! mi Hieronyme, quid hoc rei est? tu benevolentiam Regis Francisci captare tibi proposuisti, et eum injuriis oneras. Longe enim a justa, clementique ejus indole abest, ut *tantum* Magnates, et Episcopos, qui latus ejus stipant, audiat, iisque benefaciat. Sed nec id cum veritate congruit, quasi Clerus inferior, Populusque facilem ad eum aditum non haberet. Quis est, qui ea in re conqueri possit? — Aut forte hic tu Leopoldum II. vel Josephum II. tangere voluisti? at vulgo notum est, optimos hos Principes adeo populares fuisse, ut miserrimum quemque civem, et in praesentiam suam promte admiserint, et placidissimo vultu audiverint. Interroga, si nescis, confratrem tuum Stephanichium, refer in memoriam Kanczelakium jam fatis functum, qui vili rhedula Viennam vecti, paupere induti palliolo, a Josepho humanissime accepti, et gratiis, centumque singillatim aureis nummis cumulati domum remissi sunt.

Pag. 60.) „ ut Majestatem Vestram diutissi-
„ me sanam et incolumem conservet, Deum

Digitized by Google

„ perpetuo exorabimus, una vero fatemur co-
„ ram Deo, quod per has Reflexiones nos ali-
„ ud non intenderimus, quam majorem Dei
„ gloriam, et felicioris Regiminis incremen-
„ tum. „

Validum hoc est argumentum ad justi Regis animum expugnandum, sed an et verum? ingredere Hieronyme, in intima animi tui penetralia, positaque ad pectus manu eja! fatere candide, nihilne aliud scripto tuo quam majorem Dei gloriam intenderis? magnificaturne Dei gloria tum etiam, cum fama proximi prosternitur, et jugulatur? — Et ideo videris mihi *Szabadhegyi*! hac tua phrasi Jesuitas authores imitari voluisse, quibus solenne fuit, in omnibus libris, de quacunque materia, sacra, vel profana, scriptis ad calcem addere O. A. M. D. G. — Verum (proh dolor!) nec haec tibi imitatio successit melius, quam noctuae, quae dum aliarum avium plumis se exornavit, ac nescio quid grande sibi imaginabatur, omnium cachinis excepta est.

Attamen ut Hieronymus Regis animum, si tam bellis verbis moveri non vellet, ad deditionem cogat, balistis agere decrevit. Minas ergo, et quidem terribiles addit, ni Rex argumentis, placido primum tono sibi propositis, cedere velit. Audiamus.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 19.) „ Parochi sunt cor Parochia-
„ norum suorum, quorum inclinationes, vo-
„ luntates, animos, corda tenent. — Si pro-
„ inde nihil aliud suaderet, ratio politica
„ extreme suadet, Parochis sufficientia vitae
„ media danda, ut et ipsi FIDELIORES
„ hoc stimulo reddantur Regibus, et popu-
„ lum subditum ad fidem DEO, et fidelita-
„ tem Regi debitam FIDELIUS, et inces-
„ santer adhortentur. „

Hoc significat: *Rex nota tibi, in nostris manibus sunt corda Populi. Provide nos sufficientibus vitae mediis, sic enim, et non secus fidi tibi erimus, et Populum, ut fidelis tibi sit, fidelius adhortabimur.*

Quid? viri Apostolici! Parochi dignissimi! hicne et vester est ad Regem sermo? ergo egestate pressi minus fideles Regi eritis? minus fideliter Parochianis fidelitatem erga Principem inculcabitis? hoccine cum exemplo Christi, cum doctrina Patrum, cum dictamine vestrae conscientiae congruit? ergo si Ethnicus Imperator alimenta vobis subtraheret, omne fidelitatis erga eum vinculum juste disrumpi posset? — Absit, ut aliquem praeter Hieronymum ita haeretice cogitare mihi persuadeam.

Digitized by Google

§. 2.

Author Episcopo blanditur.

Proximum post Regem Episcopo Zagrabiensi locum assignavit Hieronymus, probe conscius, ejus potissimum consiliis, patrocinio, atque cooperatione opus esse, ut magnum dotationis Parochorum opus feliciter perficiatur. Ejus igitur laudibus binas pene paginas (16. 17.) complet. — Equidem negari non potest, Ecclesiae Zagrabiensi Praesulem virtute, scientia, cunctisque, quae in viro Apostolico laudari solent, dotibus ita egregie ornatum obtigisse, ut justis ejus laudibus ne ipsa quidem invidia vel minimum decerpere sibi fidat. — Sed quid? putasne mi Hieronyme! rem te gratam praestantissimo huic Antistiti praestitisse, dum in laudes illius ita profuse excurristi, ejusque pia opera *singillatim*, ac *per partes* enumerasti. Minime gentium! oportebat te cogitare, inseparabilem sincerae virtutis comitem esse modestiam, quae cum in abdito benefacere amat, omnem tamen in publico fucum subterfugit. Ejus ergo modestia dicacitate tua laesa est. — Deinde quaero abs te, utrum sanctissimo viro placere potuerit, ut nomen suum in libello dirissimis calumniis referto, prostet? potestne ei placere, ut eo ipso loco laudibus ad astra efferatur, in quo venerabile illud

Ca-

Digitized by Google

Capituli Corpus, cujus is spirituali olim lacte enutritus est, ad inferos usque deprimitur? non est hoc purissimum aurum rubiginoso ferro implectere, margaritam in fimum abjicere, Christum inter duos latrones populo exhibere? apage architecte ridicule, et pulcram illam imaginem, quam omnes veneramur, e scripto tuo excipe, et honestiore loco appendendam Capitulo, eum sincere colenti, trade.

§. 3.

Author laudes Parochorum pomposa oratione recitat.

Praemissis, quae ad Regis, et Episcopi benevolentiam captandam necessaria videbantur, Author jam propius ad scopum suum accedit, eosque, quibus auxiliari desiderat, ut digni esse auxilio videantur, effusis laudibus cumulat. Operae pretium est, o Parochi! ut vosmetipsi Panegyristen vestrum quo majorem tellus non tulit, audiatis.

Pag. 5.) „ Nos Parochi in quotidiana, „ eaque indefessa exercitatione nostra non „ dominamur, sed patimur, non alienis, sed „ nostris humeris portamus pondus diei, et „ aestus, et bonum operamur in omnes, „ Populum — — in fide, et fidelitate erga Ma- „ jestatem Vestram refrenando, pectora no-

Digitized by Google

„ stra exponendo, vitam ipsam, et sangui-
„ nem sacrificando. „

„ Nos Parochi sumus illi Majestatis Ve-
„ strae milites, qui hostes domesticos in fide
„ Deo, et fidelitate Regi debita coercemus,
„ intestina, et civilia bella sedamus, atque in
„ limine suffocamus. „

„ Nos sumus illi milites, qui ipsos mili-
„ tes contra exteros Patriae hostes nostra
„ doctrina, sacrarumque litterarum oraculis,
„ ad strenue belligerandum accendimus, at-
„ que armamus. „

Pag. 37.) „ Quis in Moscovia populum
„ continet in obedientia, nisi Parochi? quis
„ eundem reddit Regi fidelem, religionis
„ suae ita tenacem, et ad omnia audenda ita
„ promtum, atque invictum? vere Paro-
„ chi! „

„ In abrogatione festorum passim time-
„ batur tumultus in plebe, sed quia hoc ne-
„ gotium commissum fuisset curae Paracho-
„ rum, nullibi auditus fuit. „

Pag. 43.) „ Sunt aliqui Parochi a studio
„ litterarum, alii a zelo animarum, alii a
„ pietate, alii a bono exemplo, alii ab aliis
„ virtutibus, et respective de sua Ecclesia
„ plus meriti, quàm Pontifex de Vaticana. —
„ Portant enim onus, non imponunt. „

Pag. 53.) „ Parochi, Capellani, et Be-
„ neficiati multi in Dioecesi Zagrabiensi ipsis

„ Ca-

Digitized by Google

„ Canonicis, utpote nunquam in concursibus „ probatis, et eorum, quae olim didicerant, „ jam nec meminisse queuntibus reperiuntur „ longe capaciores. “

His laudibus illustrem vestrum Coetum o Parochi! frater vester Hieronymus in Aula Regia, et in Dicasteriis, imo tota in Hungaria, Croatia et Sclavonia extulit. Quid ei rependetis? quid? meo quidem judicio, statuam ei erigere debebitis, sed — aut pyramidem, sed —

Credite mihi o boni viri, exaggeratis his laudibus publico vos derisui exposuit. Quis enim quaeso risum teneat, dum audit Croaticos Parochos non modo super omnes orbis Canonicos, sed supra ipsum adeo sanctissimum Papam extolli? immanis haec est temeritas, nec mille annorum purgatorio expianda!

Deinde potestne in vestram viri sacri laudem cedere, dum frater vester in conspectu orbis fatetur, vestrum alios a studio litterarum, alios a zelo animarum, alios a pietate, alios a bono exemplo laudem mereri. Nugae! bonus Parochus omnia haec *conjunctim*, et non *divisim* in se complecti debet. Si enim in litteris egregie versatus sit, et pietate caret, non est Parochus; si privatae devotioni vacet, si jejunet, si corpus cilicio et flagellis castiget, et salutem animarum curae non habeat,

Digitized by Google

beat, non est Parochus. *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*, ajunt Peripatetici.

— Quod si porro Author vester dicit, Parochorum Russicorum opera fieri, ut plebs Regi suo (nunc *Imperatrix* Catharina regnat) ita coece obediat, nolite ei credere. In Monarchico illo Regno leges sapientissimae, et *Knut* (*lorum ferreo armatum unco*) subditos in obedientia continent. Et ideo, dum tu mi Hieronyme, ut Regem in tua, Parochorumque vota flectas, plane ad septemtrionales polo arctico subjectas digrederis Regiones, mirari jam desinimus, si glaciale tuum argumentum inde allatum nostro sub sole diffluit, et colliquescit. At, quid illud sibi vult: *nos patimur, et non dominamur, pondus portamus nostris, non alienis humeris?* — Quasi vero ideo apostolicum ingressi essetis statum, ut domini sitis, dies noctesque stertatis, alterque onus vestrum humeris supportet suis. Profecto vineam Domini excolere, aegrotorum lectulis assidere, sacramenta omnibus administrare sine distinctione, non a bona vestra voluntate dependet, verum vestri id est officii, a quo vobis sine crimine discedere utique non licet. Ita, et non secus aureum illud Divi Stephani Regis (L. II. C. 4.) effatum accipi debet: *Scitote fratres cuncti, quod supra omnes laborent Sacerdotes, unusquis-*

Digitized by Google

quisque enim vestrum suum fert laborem proprium, Sacerdotes vero et suum et singulorum.

Denique, ne civilia bella existant, ne miles in bello hosti terga vertat, neu plebs rustica novis a Rege Constitutionibus editis, in quarum classe abolitio quorumdam festorum censenda est, tumultuetur, id tantum vestrae o Parochi! cooperationi tribuere, est hiulcum, et politicorum non minus ac militarium Magistratuum honori derogans; omnes quippe hi partem in conservanda augendaque felicitate publica habent, et ad eam omni conatu conferre debent.

Nolite tamen viri Ecclesiastici credere, quasi ea, quae hactenus abs me dicta sunt, illuc tenderent, ut vobis, et inclito vestro Ordini, quem veneror, atque utilissimum Reipublicae esse agnosco, de promerita laude quidquam decerpere vellem. Verum id solum vobis ostendere propositum mihi fuit, fratrem vestrum Hieronymum in recensendis vestris laudibus turpiter hallucinatum fuisse. Nam ea, a quibus venerabilis vester status plurimum commendari debuisset, silentio praetermisit; alia vero, quae in lectore cachinum potius, quam vestri nominis aestimationem excitare possunt, non sine ingenti stupiditatis nota, plenis buccis in publicum efflavit. Uno verbo, vestras, vestroque Ordini proprias vobis evulsit plumas, et alienas, mul-

Digitized by Google

multicolores, ineptissime compositas substituit, itaque vos non ut Parochos, sed ut histriones (date veniam huic expressioni) coram magno Regni hujus theatro produxit. — At fortuna, quod hoc ipso in theatro adeo perspicax sit auditorium, ut non personas, quae in scenam producuntur, sed ipsum fabulae authorem exsibilet, atque more Anglorum efistulet.

§. 4.

Preces Authoris ad Regem Franciscum pro universa gente Parochorum.

Sed, o ingratum genus humanum, illi Parochi, quos juxta Hieronymi asserta virtus, et doctrina supra Canonicos ipsumque adeo Pontificem Romanum extulit, quibus Reges, et Principes terrae, quod fideles, quod obedientes habeant subditos, in acceptis referre debent, qui in abrogatione festorum tumultum toti orbi impendentem prudentia sua praevenerunt, qui bella sedant, hostes repellunt, ipsam Moscoviam ab intestinis turbis defendunt, illi inquam Parochi (infandum dictu!) in Regno hoc Apostolico, et Mariano, in oculis Regis Apostolici (pag. 6.) " in mul-
„ tis extreme angustiati, in pluribus afflicti,
„ et in necessariis nedum vitae mediis, sed
„ etiam spiritus certo certius anxii vivere de-
„ bent. Cumque „ Canonici (Pag. 19.) qui

„ nul-

Digitized by Google

„ nullam activam vitam ducunt, nullas utili-
„ tates proximis praestant, *saginantur*, *in-*
„ *crassantur*, et quidem gratis; miseri Paro-
„ chi, et alii vitam activam agentes, et in
„ omnes bonum operantes esuriunt; — fame
„ pereunt — angustiantur — in necessariis
„ vitae, atque spiritus affliguntur.

Atque ideo (Pag. 57.) Majestati Vestrae
„ SSmae utpote Ecclesiarum, et Ecclesia-
„ sticorum summo Patrono, et Protectori hu-
„ millime de genu supplicant Parochi, di-
„ gnetur medium optimum, et efficacissimum
„ ponere, ut semel illa antiqua larva, rudi-
„ tas, et iniquitas, quae in statu Ecclesia-
„ stico hucusque vehementer grassabatur *a*)
„ penitus deponatur; excutiatur, atque in
„ meliorem ordinem redigatur, ac proinde
„ *unice* de Parochorum dotatione, bona fun-
„ datione, et conservatione cogitare dignari.
„ Haec enim res summi momenti omnibus
„ esse debet, hoc est summe utile, profícu-
„ um, atque necessarium bono publico adeo,
„ ut sine eo vita sustineri haud possit .. ..
„ Quemadmodum enim sine alimentis vitam
„ humanam sustentare impossibile est cui-
„ quam mortalium, ita quoque vitam spiri-
„ tualem, quae maximum animae nutrimen-
„ tum

a) Ohe! vir eruditissime, ubi vidisti larvam *grassari*?

Digitized by Google

„ tum praebet, sine praemissis aeque impos-
„ sibile est habere. „

§. 5.

Author Congruam humillime proponit.

Hac nervosa oratione ad Regem praemissa jam Hieronymus id, quod totius libelli supplicis caput est, exequitur, ac pro Parochis indiscriminatim congruam (pag. 25. 27. 31. 45.) florenorum 800, neve quid ad perfectionem Parochorum Regulationis deesset, pro Canonicis dehinc ex speciali ejus gratia in Zagrabiensi Capitulo mansuris florenos 1000, pro Archidiaconis jam ruri victuris, florenos itidem 1000, pro Praebendariis Zagrabiensibus 800, pro Capellanis denique 70. profunda cum submissione, ac *de genu* proponit. Neve Rex, aut ejus Ministri primo statim obtutu terrefierent, sapientissima praeventione utitur, iis inculcando: *saepe* (pag. 60.) *parvos saniora proponere, quam magnos.* a)

At ne cuiquam eorum, quibus magni hujus *projecti* examen a Rege committetur, in men-

a) Dum pientissimi hi Authores omnibus de Clero Zagrabiensi, ne Capellanis quidem exceptis, de congrua vitae sustentatione tam liberaliter provident, tantum vestri, o Canonici Chasmenses, de Ecclesia et Patria optime meriti, proh dolor! obliviscuntur. Hoc profecto acerbum est fatum! Dum Apostolici Reges Hungariae ad vos, bonis exutos, exules, extorres, nunquam oculos pietatis convertunt, triste est, vos in hac etiam ter felici *Szabadhegyianae* Regulationis epocha silentio praeteriri, atque in indigna omnibusque miseranda egestate relinqui.

Digitized by Google

mentem veniret, congruam Parochorum, in florenis 800. inalterabiliter defixam, in crisim vocare; calculo mathematico omnes Parochi unius necessitates (pag. 25.) longa serie enumerat Hieronymus. Praeprimis inquit, Parocho necessariae sunt tres personae, auriga, coqua, et ancilla; horum merces, victus, et *haustus* vini facit . . . . . fl. 259 —

Et quia ubi auriga est, duo etiam equi debent esse, horum pretium in decem annos divisum, pabulum, soleatio, apparatus efficit 92 12

Parochi prandium quatuor, coena vero tribus constitura cibis, tum vini duae mediae Posonienses dietim, annue efferunt . . 164 15

Vestes inclusis *collariis, collariolis*, et *collarinis* nec non *calligis*, et linea supellectili . . . 128 14

Supellex domus, helciá, libri, tonsor, medicus, medicinae etc.. . 57 —

Pauperes et ligna. 52 30

Hospites, nam *hospitalem oportet esse Parochum*. . . . . 82 —

Summa salvo errore calculi . 835. 11

Interim tum ut numerus rotundus prodeat, tum ne fundus religionarius nimium gravetur, ex hac summa florenos 35. kr. 11. generose ab-

Digitized by Google

abjicit, ac proinde, prouti jam dictum est, congruam in florenis 800. defigit, atque stabilit.

§. 6.

Argumenta inexpugnabilia pro stabilienda congrua 800 Florenorum.

1. (Pag. 28. 29. 30. 31.) „ ratio boni publici expostulat, ut in defectu Cleri fl. 800 „ congrua Parochis assignetur, secus enim „ nemo ad statum Ecclesiasticum aspirabit. „

2. „ Provisores (Oeconomici) seculares in „ officio suo annue ad florenos 600. et 800. „ ascendunt. „

3. „ Quotusquisque Officialium militarium cum salario fl. 300. usque dies vitae „ servire percuperet, si spem non haberet, „ Capitaneus majori cum salario evadendi. „

4. „ Si pervolvamus omnes *inde ab origine mundi* historias, sive sacras, sivè profanas, *omnium gentium et nationum*, inveniemus profecto apud eas sive falsos sacerdotes, seu sacrificulos sufficientibus vitae mediis provisos exstitisse; *tantum* in „ Regno Apostolico, in fide vera unica salvifica — non falsi, sed veri nominis Sacerdotes — — Apostolorum et Jesu Christi discipulorum *indubitati successores*, ipsi „ praecise soli debitis vitae mediis destituentur? „

5.

Digitized by Google

5. „ Contemti erimus apud omnes na-
„ tiones, quae a nobis *bonum odorem* sibi, ut
„ *luceant opera illorum coram hominibus* a) desu-
„ mere debent, si necessaria Sacerdotibus
„ nostris media ad propagandam fidem Chri-
„ stianam negentur. „

6. „ Neque magna flor. 800. Congrua cui-
„ quam videri potest, cum in aliis Provin-
„ ciis, ut in Austria, Stiria, Carniolia, Bo-
„ hemia, complures Parochi in antiquis Pa-
„ rochiis numerentur, qui proventum annu-
„ um (nullibi infra 1500. fl.) per 2. 3. 4. 5. et
„ 7. millia habent. Tantum sub Corona Re-
„ gni Hungariae Parochi flor. 300. vivere, et
„ circa Parochianos suos — — mendicare
„ cogentur. „

§. 7.

Praemissi tres Paragraphi modeste cribrantur.

Jam nunc, dum tu merces tuas propalam exposuisti, patere Hieronyme, ut nos eas attentiore oculo lustremus, iisque, quae aliquid valent, paulisper sepositis, alias, quae ne hili quidem aestimari possunt, rejiciamus.

Initium ab oratione ad Regem Franciscum (§. 4. *hujus Operis*) directa, facere lubet. Illam ita esse coordinatam fidenter edico, ut nec

a) Nec odor lucem, nec lux odorem spargit.

Digitized by Google

nec Regi, nec Canonicis, nec Parochis placere possit.

Non Regi; naenias enim ei occinis; nunquam etenim tu ei persuadebis, aliquem e bonis nostris Parochis, quorum Congrua tantum in florenis 300 consistit, fame periisse. Vivunt, superis sint laudes, adhuc omnes; tametsi multi inopes, ac medios inter labores cum quotidianis tribus cibis necdum macrescunt; imo vero pro macris his beneficiis (quis credat?) ex omnibus Regni partibus fiunt recursus, pulsantur limina et Episcopi, et Consilii Regii. Deinde nimium id est, quod abs Rege postulas, ut nimirum is, cunctis aliis Regni negotiis sepositis, *unice* de Parochorum Croaticorum dotatione cogitet.

Non Canonicis; qui tamen tui sunt fratres, et Praepositi. Falso enim eos insimulas, quasi in parvo Croatiae alveari tantum velut inutiles fuci viverent. Apes et illi sunt, melque producunt, quod illis quidem, qui sano gaudent palato, sapit; aliis vero, quorum guttur, ut tuum, felle et absinthio imbutum est, amarum apparet.

Denique non Parochis; quia temerarie asseritur, in Statu Ecclesiastico *ruditatem et iniquitatem hactenus vehementer grassatam esse.* Si rude tuum ingenium ars perpolire non potuit, si pectus tuum sensu aequitatis, omnisque adeo humanitatis caret, noli culpam in

fra-

Digitized by Google

fratres tuos conjicere, qui et sapiunt, et humaniter cogitant, et ab aequitatis tramite deflectere piaculum ducunt.

Transeo jam ad Congruam, quam tu (§. 5. *hujus Operis*) in 800 florenis Rhenensibus defixisti. Hic nihil, quod agam, mihi superesse video, quam ut Deum omnipotentem ardentibus exorem precibus, ut pia tua vota exaudiat, fundumque Religionis ita, uti olim hydrias in Canna Galilaeae, et pisces in deserto, benedicat. Si enim ingens hoc miraculum in diebus nostris factum non fuerit, vereor, ne miseri, et, ut tu ais, famelici Parochi Congruam a te propositam, sicut Judaei Messiam, usque ad extremum Judicii diem exspectare cogantur. Tot quippe mille Parochis, qui per Hungariam, Croatiam, Sclavoniam, et Transilvaniam sparsi degunt, singillatim 800 florenos singulos in annos praebere, nae miraculosam fundi Religionarii auctionem, aerisque multiplicationem majorem, quam omnes orbis Alchimistae produxerint, supponit!

Sed et quoad calculum tuum leviculae aliquae reflexiones mihi occurrunt. Prima earum est, quod multi e Parochis numerentur, quorum administratio unico oppido, aut pago, vel duobus pene contiguis vicis absolvitur. Hic ergo duo equi cum rheda et helciis, ita quoque auriga cum foeno, et avena

spatiatum eunt. — Porro cum novi nostri Parochi hactenus cum annuo 300 flor. reditu non quidem opipare, tenuiter tamen vixerint, pro futuro tantumdem soli aurigae, cocae, et ancillae emensurare paradoxum videtur. — Libri, medicus, et medicinae quoad aliquos Parochos e serie expensarum expungi possent. Reperiuntur enim inter eos, tamen perpauci, qui aliis distracti curis per totum anni spatium praeter *Directorium*, et *Breviarium* vix alium manu terunt librum. Quoad hos igitur dici potest, sublata caussa nervos tendente, nec medico, nec medicinis opus esse. — Pro pauperibus expositos annue flor. 15. tuto omittere licet: qui enim non habet, distribuere nec potest, nec debet. Charitas hic locum aeris suppleat, necesse est: qua accensus Parochus Parochianorum corda movebit, ut vero, non ficto, eique domestico mendico (exteros enim repellendos lex praecipit) pia largitione subveniant. — Sed et Institutum Pauperum, si illud laudabili Parochi conatu in Communitate inductum fuerit, modum egenis succurrendi suppeditabit. — Hospitum rubrica forte pro commodo fundi Religionarii pariter praetermitti posset. Modico enim illo, quod Parochus mensae suae apponet, hospes etiam, si discretus fuerit, contentus erit, sin perfricta

Digitized by Google

eta fronte plus exigeret, dici ei poterit; *amice, vade in pace.*

Ceterum ut tute Hieronyme videas, quam aequanimem in me nactus sis rationum exactorem, ecce mea est, salvo tamen altiori judicio, opinio, ut deputatum vini pro quibusdam Parochis duplicetur, proinde in locum 24. *Cubulorum*, seu urnarum, quas tu exponis, urnae 48, aut pro re nata 72. constituantur. Consulendum enim est valetudini, praepediendumque, ne principali virium elixirio sublato Parochum ad chinam, et rhabarbarum delabi oporteat.

At argumenta, quae tu (§. 6. *hujus Operis*) accumulasti, fateor candide mi Hieronyme, cribrum non sustinent. Diffluunt undique velut paleae, minimoque vento diffllari possunt. — Tu ipse tuus esto Judex, et quid ad singula responderi possit, attende.

Ad primum: inane Hieronyme *Szabadhegyi*, est terriculamentum, quo Regem et Episcopos percellere te posse existimas. Nemo enim, nisi peregrinus omnino in Historia Ecclesiastica sit, eo movebitur. Et vero, quis quaeso ignorat, fuisse in Ecclesia tempora, ubi nec seminabatur Parochis, nec metebatur, ubi nec Praebendarum, nec Congruae, nec Fundi Religionis nomen adhuc cognitum fuit, ubi denique divinum illud effatum: *nolite esse solliciti de crastino*, acutiores, quam

Digitized by Google

nunc, aures inveniebat, et tamen Ecclesia nunquam Sacerdotibus, nunquam devotus Christianorum grex Pastoribus caruit. Crede mihi Hieronyme, si te divitiarum cupiditas, si *mamona* ad hunc, quem indigne geris, statum deduxerunt; centeni alii fratres tui sunt, quos studium unice promovendae DEI gloriae, salutisque proximi quaerendae eo pellexit, pellicietque cum divina gratia etiam in futurum, etsi florenorum 800 Congrua (quod quidem Dii, Deaeque avertant!) in rerum natura non fuerit.

Ad secundum: Vae Parochis Croaticis, si eorum Congrua cum salariis Villicorum, et Provisorum aequiparata fuerit, quos inter rarum in Croatia reperies, qui 100 florenos, nullum, qui ultra 300 annue ab hero suo percipiat.

Ad tertium: Militem spes altioris gradus, et cum hoc amplioris stipendii consequendi alere, et ad fortiter dimicandum excitare omnino potest, sed non eum, qui sub vexillo Christi militat.

Ad quartum: Omnes, quiqui in classe Parochorum censemini, amplissimas *Szabadhegyia* rependere grates obstricti estis. Is enim, ut Congruam vestram constabiliat, atque adeo in vestri solum gratiam, ad ipsa orbis primordia, quando adhuc Adamus, et Eva foliis ficuum nuditatem tegebant, regredi-

Digitized by Google

ditur. Quod plus est, in veteri unice gratiam omnes *omnium Gentium*, et *Nationum* pervolvit historias, nusquam tamen Mystes, Bonzios, Brachmanes, Sacrificulos, Rabbinos, Flamines, Druides deprehendit, quin *sufficientibus vitae mediis* provisi fuissent. Et vos, inquit, veri nominis Sacerdotes, genuini, ac *indubitati Apostolorum successores* esuritis! Proh facinus inauditum! At at quaerimus ex te erudite *Szabadhegyi!* ubi tu ante diluvium Sacerdotes invenisti? An Abel, Seth, Henoch, Mathusalem, Noe, dum sacrificium Deo offerebant, Sacerdotum opera usi sunt? — Post diluvium autem, dic quaeso! an Abraham, Isaac, et Jacob Parochos in auxilium vocare debuerint, ut supremum numen hostiis placare possint? — Posteaquam vero Moyses Sacerdotium instituit, an Sacerdotibus, et Levitis, quorum jam in deserto viginti tria millia numerabantur, aliquid aliud praeter solas decimas obtigit? — Quod si profanas historias examinemus, reperiemus in *India* Brachmanes propria manu terram colentes, in *Sinis* Bonzios per vicos et compita stipem mendicantes, in *Persia* Mystes in tabernis publicis popularibus cantilenis vitae media quaerentes, in *Aegypto* sacrificulos ante Isidis statuam tibiis concinendo eleemosynam a praetereuntibus implorantes.

Digitized by Google

Ante Deum Matrem cornu Tibicen adunco
Dum canit, exiguae quis stipis aera neget? a)

Quodsi ad primaeva Religionis Christianae tempora regredi lubet, dic obtestor, an non Paulus manuum labore victum sibi quaesivit? non praedicavit is Sacerdotibus, forte commodiorem vitae rationem sequi volentibus, *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*? licuitne ea aetate citra nefas proprios loculos habere? An non fuit in Concilio Carthaginensi IV. (*Can. LII.*) constitutum, ut *Clericus victum sibi, et vestitum artificiolo, vel agricultura absque officii sui jactura paret?* — Sed quid vetusta, et longinqua a nobis exempla petimus! Eho! dic sodes! an in Hungaria Ministri Augustanae et Helveticae Confessionis bona, subditos, latifundia, aut congruam, uti nostri Parochi habent, vel potius, an non eo contenti esse debent, quod eis Communitas, cui serviunt, dum suscepti fuere, sponte, aut ex conventione in annos singulos emensa est? ubi est ille fundus Religionarius, unde Parochi Graeci non uniti ritus vitae media haberent? non vidisti Hieronyme, eos in sudore vultus sui panem quaerentes, propria manu stivam tenentes, boves impellentes?

Vide jam sis, miser *Szabadhegyi*! quod improvide feceris, dum Regem ad aliarum gen-

a) Ovid.

Digitized by Google

gentium exempla, ad novum et antiquum Testamentum, ad ipsa orbis initia revocasti. Ita enim Parochos, quorum caussam agere debueras, in manifestum deduxisti periculum, ne et id, *quod habent, auferatur ab eis*; quod infortunium ne vobis Parochi mihi dilecti propter summam Patroni vestri ignorantiam accidat, quaeso, ardentes quotidie ad coelum preces fundite.

Ad quintum: Noli metuere Hieronyme, ut contemtui sint *apud omnes Nationes* Parochi nostri, etsi Congrua 800 florenorum caruerint. Imo vero tum quam maxime aestimabuntur, cum de se dicere poterunt, *misimus rete nostrum in mare, non ut pisces, sed animas capiamus.*

Ad sextum: Toto coelo aberras mi *Szabadhegyi*, si putas, nullum in Austria, Stiria, Carniolia, et Bohemia reperiri Parochum, cujus annua Congrua minor 1500 florenis foret, complures autem, in quorum loculos duo, tria, imo et septem millia singulis annis influerent. Imo vero dico tibi bone vir, et quidem non dubia, sed certa scientia, centenos illic inveniri sacros Curiones, qui summas DEO agerent grates, si vel tantillum, quantum major pars nostrorum Parochorum, Congruae perciperent. Itaque existimo, hoc tibi *Szabadhegyi*! hic accidisse, quod multis aliis, quibus semper id, quod

Digitized by Google

exterum est, prae domestico, remotum prae vicino praeplacere solet.

Vicinumque pecus grandius uber habet.

Ex quibus omnibus luce clarius apparet, vestrae o Parochi caussae Patronum ad mitissimi Regis animum movendum argumenta, non quae *plana, vera,* et *ante pedes* quasi sunt, sed *ficta, inania, ridicula,* et materiae tanti momenti non secus, ac pugnus ad oculum, consona adhibuisse. Dicam ego vobis, si temporis angustiae admiserint, ad calcem hujus cribratoriae dissertationis, qua verborum forma, quibus argumentis exarandus esset ad Regem libellus supplex, si quando vobis ad Regium solium recursum facere placeret.

§. 8.

Cribrator in profundam incidit melancholiam, dum de 800 florenorum Fundo cogitat. — At Szabadhegyius Capitulorum sublatione eum solatur.

Credite mihi o viri Apostolici! nihil mihi in vita jucundius accidere posset, quam si Deorum aliquem votis *Szabadhegyii* ex asse annuere, vestrumque singulis annuos 800 fl., ne crucifero quidem demto, de coelo depluere viderem. Sed cum recogito, unde? quo-

Digitized by Google

quove ex fundo? tum enimvero rigescunt artus, ac cerebrum mihi in gyrum versari animadverto.

Omnes e bonis Regiis, e fodinis, e tricesimis, ac mille aliis fontibus in Regium aerarium manantes proventus vix militiae alendae, bellisque continuo gerendis sufficiunt. Ut inde pro vestro alimento pars aliqua decerpi posset, necessarium foret, et bellis in perpetuum valedicere, et militiae partem maximam missione donare. At utrumque, quamdiu aurea secula non redierint, impossibile est.

An putatis, bona fundi Religionis ad eum usque apicem deduci posse, ut tot millium virorum sacrorum multitudini opime alendae satis sit? o spes inanes! — Bona Religionis quo majori arte et ingenio administrantur, quo plurium administratorum, praefectorum, inspectorum, provisorum, exactorum, horumque substitutorum, et horum subalternorum directione reguntur, eo magis — quis credat? (et tamen certum est) in proventibus minuuntur, et — liquescunt.

Quod ergo aliud sub coelo remedium est? eo certe res devenit, ut iam novis etiam Parochis, prout in vicina Stiria jam factum est, brevi dictanda metui debeat sententia: *non veteres, sed novi migrate coloni.*

At

At eccum Hieronymum nostrum! adest fronte exporrecta, quasi nescio quid magni promittens, atque in haec verba solvitur:

Pag. 18. „Sive spectetur obsequium DEI, „ sive altissimum servitium Regis, sive Re- „ gni, seu Publici emolumentum, non est e „ re Capitula conservare, — nova fundare „ — aut misera dotare, iisque pensiones „ pro meliori subsistentia augere, aut etiam „ dare. „

Proh Deum immortalem! quid incoeptas Hieronyme? tu ergo omnia in Regno Hungariae, Croatiae, et Sclavoniae Capitula tot seculis florentia, tot meritis inclita, tot illustribus viris conspicua, uno flatu sicut telam araneae difflas, disrumpis, et de facie terrae tollis! tu Canonicos nullius reos criminis, Nerone et Diocletiano crudelior, dissipas, dispellis, ac ne id quidem iis solatii relinquis, ut pensionibus, quae ne Laicis quidem abolitorum monasteriorum negatae fuerunt, gaudeant! ubi conscientia? ubi vel scintilla amoris erga proximum?

Pupugi hominem, ut video, usque adeo, ut conversus in se, et quam stulta sua sit propositio, considerans non sine manifesta verborum contradictione in mitiorem declinaverit sententiam, ac proinde in eo firmiter, inalterabiliterque substiterit, ut, Josephino systemate postliminio revocato, universa Capi-

Digitized by Google

pitula ad octo duntaxat Canonicos reducantur.

Oportet inquit (pag. 20.) „ Capitula ad „ systema gloriosissimi Imperatoris, et Re„ gis nostri Josephi II. reducere —— ac proin „ de omnes Canonicos aequaliter, nulla habi„ ta reflexione praerogativae columnarum, „ quorum aliqui in Capitulis *omnium malorum* „ *origo, et sentina sunt*, non expectata ipsorum „ morte, mox et ipso facto dispergere, ali„ quos jubilando sine omni pensione, prae„ sertim seniores, qui tantas divitias sibi „ procurarunt in Capitulis, ut ex suo vivere „ possint, alios ad alia Capitula, in quibus „ vacantiae essent, ad complementum nu„ meri systematici intra spatium 30 dierum „ transferendo, alios, qui servire adhuc pos„ sunt, foras ad Parochias, et Arcidiacona„ tus suos intra praemissum terminum ex„ mittendo. „

§. 9.

Cribrator murum se pro Capitulis ponit.

Tu ergo terribilis *Szabadhegyi*! systema Josephinum restitui, et universa Capitula ad octo solum personas reduci postulas? Nec hoc satis est. Tu ultra, quam ipse Josephus progrederis. Vis enim omnes aequaliter Canonicos, et quidem intra 30 dies dispergi, alios

omni

Digitized by Google

omni pensione subtracta ad quietem poni, alios ad Parochias retrudi.

At considerare hic primum oportet, etsi systema Josephinum aliquando Diaetali condito Articulo, resuscitandum veniret, omnium tamen minime conveniens esse, ut a viro quocunque Ecclesiastico, praesertim Paroco id vel proponatur, vel suadeatur. Ita enim Parochos optime meritos praemiandi, atque vel sub senium ad altiorem honoris, utilitatisque gradum provehendi occasio subtrahetur, cum tamen *bene praeclareque meritorum rationem habendam esse*, tu ipse in famoso tuo libello toties nobis occinis.

Sed etsi Regi, atque Primoribus Regni in mentem aliquando veniret, Capitula vel tollere, vel ad minorem personarum numerum restringere, merito quaeri potest, an id cum legibus Hungariae componi, an id sine periculosissimis sequelis suscipi possit? Si enim unius civium classis proprietatem tollere licet, cur non et alterius? Si uni Ordini Regum privilegia, concessiones, donationes, consensus non suffragantur, an suffragabuntur et alteri? Si fas est a lege recessum facere in uno, an non erit fas et in alio? — Equidem an paucae hae considerationes infallibilitatem illam, quae Pontificiis tribuitur braculis, mereantur, disputare non volo: id tamen iterum atque iterum affirmo, impium

es-

Digitized by Google

esse in proprium suum Ordinem illum Sacerdotem, qui haec principia, quamdiu licet, tueri non conatur. In ipsis enim belluis usuvenit, ut speciei suae conservationi, ipsa natura monente, studeant, nequae altera alterius vitae, si ejusdem speciei sit, insidias struat

— — *Quando leoni*
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam, saevis inter se convenit ursis. a)

Atque ideo vide sis Hieronyme, quam palmarem injuriam sacro tuo coetui inferas, in quo cum tantum Fratres tui sint, eos tamen ita immisericorditer cornibus petere non dubitas. — Profecto si vel micam salis fata tibi reliquissent, debuisses praevidere, quam tristes in universum tuum Ordinem ex imprudenti tua propositione redundent sequelae. Atqui, ut cum Terentio loquar, istud est sapere, non quod ante pedes modo est, videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere. *b*)

Praeterea, quaero abs te, quo jure tu columnas in Capitulis *omnium malorum originem et sentinam* compellare audeas? haecine est vox Ecclesiastici? hoccine abs te, fili mi

a) Juvon. Sat. 15.
b) Terent. in Adelph.

Digitized by Google

mi Brute, meruere viri, quos virtus, et scientia ad prima in Capitulis extulit subsellia? itane abs te honorantur Keglevicsii, Fabii, Zabraczkii, Sanerii, Herschingii, Zerdahelii, Pethöii, Szanii, Kissii, Zsolnaii? ita tuo in Capitulo nuper demortuus Praepositus Popovicsius, viri non minus de Patria, atque Ecclesia optime meriti? sicne convenit loqui de tot aliis Praepositis, Custodibus, Lectoribus, Cantoribus, quos enumerare longum foret, viris, qui illic, ubi sunt, communem ab ipsis etiam alienae religionis hominibus promeriti sunt venerationem? Indigne Presbyter! depone vestem, quam gestas, abi, reconde te in speluncam, et cum humano te indignum feceris consortio, vive inter belluas. *Quid enim interest, utrum ex homine se quis convertat in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluae?* a)

§. 10.

Author in Capitulum Zagrabiense ignem et flammam vomit.

Videbat imprudens author, argumentis se nequidquam agere, ut bona Capitulis eripiantur, in dirissimas igitur convertitur calumnias, ignemque et flammam in Capitulum Zagrabiense evomit. Quo consilio? ut nempe Rex Corpus omni scelerum genere in-

a) Cic. de offic.

Digitized by Google

inquinatum de medio tollat, atque ita sublatio Capituli, sine qua vobis o Parochi subveniri non posse existimat *Szabadhegyius*, acceleretur. Nullus itaque est in Capitulo, cujus honori impius homo parceret, nullum est crimen adeo atrox, quo veneranda illius membra a primo usque ad ultimum non oneret.

Sinite viri Ecclesiastici, ut vobis tacentibus, atque palmarem injuriam vestro honori impactam, vel generose tolerantibus, vel in abdito corde ingemiscentibus homo secularis, nullo vobis nexu junctus, non assentandi studio, non lucri captandi animo, solo proinde Christianae caritatis amore incitatus, assurgat, atque infami authori pellem leonis, qua indutus in publicum prodit, detrahat, et pro modulo suo, quae de rebus vestris assequutus est, ad Tribunal aequissimi Publici deducat. Ita enim fiet, ut totus, quantus quantus est, coram orbe Croatico *consistat asellus*. Dandum id est veritati, quam in conspectu orbis celare, propudiosum foret: concedendum justitiae, quam iniquitate premi nemo civium admittere debet. Praeterea vester etiam Proceres, Nobilesque Croatiae honor exigit, ut filiorum vestrorum famae vitaeque adeo ipsi in manifestum deductae periculum publicus appareat defensor, factoque hoc omnes, quiqui barbarum impu-

Digitized by Google

dentissimi *Szabadhegyii* legerunt scriptum, agnoscant, verum non esse, quod is (pag. 15.) effutire veritus non est, *Capitulum Zagrabiense amicos, et defensores sui ex Secularibus in hoc Regno non habiturum.*

Qua in re, ut *Szabadhegyianae* turpissimarum calumniarum quisquiliae hinc, et inde sparsim jacentes in aliqualem ordinem colligantur, visum est ita progredi, ut primum quidem eae calumniae, quibus privata quaedam Capituli Zagrabiensis membra afficiuntur, tum vero eae, quae ad integrum Corpus pertinent, percribrentur.

I. Initium facimus a Josepho Taisperger Lectore Capituli, cui illoti oris scriptor *Szabadhegyius* (pag. 51.) objicit, eum *dissensiones, turbas, fatalitates et jurgia tam intra Capitulares, quam et alios* (intelligi Seculares) *spargere.*

Josephus Taisperger, vir ab acuto et ad expediendas quascunque difficultates promto ingenio, tum ab insigni et varia litteratura non tantum in Patria, sed in exteris etiam Regionibus notus, varia cum in Capitulo, quippe Archidiaconi, piarum summarum Praefecti, Bonorum Administratoris, quam extra illud, nempe Rectoris Cleri junioris in urbe Viennensi, Professoris dein Theologiae, et posthac Directoris Regiae Academiae Zagrabi-

Digitized by Google

biensis cum laude munia gessit, laboriosam ultimo Lectoris in Capitulo dignitatem assequutus. Hoc quoque in gravi sane, curarumque pleno munere eum singulari prudentia, ac indefesso studio versari, nemo unus hactenus vel in dubium vocavit.

Porro cum ad officium Lectoris in hocce Capitulo omnia negotia dirigere et expedire, juribus et commodis totius Corporis invigilare, ad informandos Fratres sententiam opinionemque propriam fusius depromere pertineat, cum praeterea singuli Canonici liberis votis gaudeant, mirumne esse potest, si quando eveniat, ut et illius cogitata horum alicujus opinioni non respondeant, et in coetu talium virorum sententiarum diversitas controversias nonnunquam pariat? mirumne, si vir odiosa persaepe negotia vi munenis tractans, uti est inter multa alia morosorum debitorum admonitio, et adursio, aliquibus displiceat? Te appello *Szabadhegyi!* profer hominem, privatum etiam, quantacunque laude dignum, qui omnibus placuisset. Novimus praestantissimos Vicecomites, et alios Magistratus, nullo partium studio notatos, justos, reique publicae bene gerendae studiosissimos, censuras tamen malevolorum, dicteria, obloquutiones effugere non potuisse. Quid igitur mirum, si unus Taispergerus, tot tantisque

vi officii implexus negotiis, in adversarios incidat jam domesticos, jam extraneos? Nae tu amice *Szabadhegyi*, haec tecum attente reputans animo, factum tuum proprio tuo judicio damnare debes, qui privatas Canonicorum in negotiis dissensiones ad personarum inimicitias trahis, atque, ut in totum Corpus publicam provoces indignationem, ea, quae rumore, vel unius alteriusve malevoli narratione acceperas, nullo praemisso examine, in vulgus projicis!

At nonne Taispergerus, Director adhuc Academiae, turbas inter Professores excitavit? quaerit *Fogassius* amicum suum sustinens. Pace tua bone vir dixero, quod asseris, aut argumento aliquo ratum facias necesse est, aut calumniator es, qui, quod superstites adhuc ejus temporis Professores uno ore neggant, in conspectu populi asseverare audes. Unicus fuit fictus ille tuus Trasibulus (cujus vero nomini, cum jam e vivis sublatus sit, parcimus) homo peracris, sed minus placidi ingenii, qui libello edito non tam sententiam Directoris sui, cum iste dissertationem quampiam de matrimonio in lucem emisisset, quam ipsum Directorem acrius perstringere ausus est. At primumne hoc est exemplum in orbe litterario, ut author in authorem justo plus audeat? Affectus animi

non

Digitized by Google

non raro eruditos perinde, ac alios agitant; bilemque, ut sic dicam, doctam, tu ipse *Fogassi*, quoties in libris observare potuisti, quin tamen in mentem tibi subiverit, odium alterius in alterum inde subinferre. Nihil igitur agis, cum e libro Trasibuli de Lectore Capituli sententiam pronuncias. Illius enim scriptio aut ad aemulationem litterariam, si placet, minus castigatam, referenda est, aut certe ad scopum tuum, cum plures testes in obversum adsint, valere non potest.

Ceterum, ut vobiscum indivisi calumniarum artifices! rem conficiam, paucis eam absolvo. Quem vos impugnatis virum, a summis viris pro Episcopatu ante paucos annos propositum fuisse constat; vestrisne igitur criminationibus, an tanto testimonio deferendum sit, Publicum decidat. Aut forte vos Philippum Macedoniae Regem imitari voluistis, qui, ut Athenienses facilius sub jugum mitteret, Demosthenem (*Lectorem*) sibi tradi petiit.

II. Alterum, in quem lapidem conjiciendum putavit, Episcopum sibi Pristinensem, Antonium Mandich, secus Canonicum Zagrabiensem, delegit — Hieronymus.

Objicit ei *primum* (pag. 12.) quasi intimo suo amico Josepho Taisperger ex *Consilio Regio*, in quo nunc Consiliarii ac Referentis in

Digitized by Google

Ecclesiasticis munere fungitur, *omnia intima perscriberet.* Huic ineptae subsumtioni epiphonema additurus *Fogassius* asseverare audet, eum hac de causa *ab eodem Consilio amandatum fuisse*, una vero quaerit, *quid obstat, quo minus et nunc, antequam turbas ibidem cieat, amandetur?*

Breviter dico, utramque insignem esse calumniam. Jam hoc satis ad laudem Mandichii est, quod is juvenili adhuc prope aetate ex simplici Canonicatu Zagrabiensi ad Regium Consilium Locumtenentiale transferri, ibique Regiorum Consiliariorum catologo accenseri meruerit. Magis adhuc ad laudem illius pertinet, quod in gravi, atque delicato hoc munere ita constanter se gesserit, ut scientia, industria, et rara sua comitate, affabilitateque communem sibi aestimationem, et amorem comparaverit, a binis autem Regibus Episcopatus Pristinensis praerogativa ornari et subin Custodiatu Zagrabiensi donari meruerit.

Quodsi Consiliarii Regii munere privatus, atque ad Capitulum remissus fuit, quis nescit, id multis aliis de Republica optime meritis viris et in Germania, et in Hungaria saepe alias evenisse, quorum repentinus lapsus in omnium oculos incidit, cum tamen, quidnam peccaverint, nemini cognitum fuerit.

At

Digitized by Google

At enim nonne Mandicsius a Magno Leopoldo II. suae postliminio restitutus est sedi? quod unum ad detergendam omnem a viro praeclaro suspicionem sufficit.

Unde quemadmodum in iis, quae modo breviter dilucidata sunt, fabulam cecinisti Hieronyme, ita nec illud tuum impudens sane commentum subsistit, quasi is amico suo Taispergero secreta Consilii communicaret. Primum enim id ab ingenua ejus indole quam longissime abludit; deinde quaero, quae ergo arcana Consilium Hungaricum tractat ordinarie, quae sacro uni viro, ad fidelitatem Regi, et Patriae servandam aeque obstricto, perscribere nefas foret? vel hinc, *Szabadhegyi!* prodis, te, ubi gallinae noctu sedeant, magis, quam politicam Monarchiae constitutionem nosse. Secreta enim Status in arcano Regis Senatu, in *Cabinetto*, in aulicis Dicasteriis, non in provincialibus Magistratibus sedem habent.

Alterum, quod Mandichio objicit *Szabadhegyius*, est (pag. 53.) liberior *cum mulieribus* conversatio, sed pro hac calumnia paulo infra, cum de Capitulo in concreto agetur, pro merito eum talitro salutabimus. At at! tu quoque *Fogassi* hic cum sesquipedali tua machaera in aciem prodis succenturiaturus, si commilitonem tuum terrae affligi contingeret,

ret, opusque, quod *Discussio oratoria* nominatur, in auxilium vocas. At non extimescit Mandichius vos duos Thrasones, qui dum cum veritate in lucem prodire non audetis, mendacia comminisci amatis. Etenim tota historia Pestiensis, quam *author Discussionis oratoriae* falso deceptus rumore describit, jam dudum Budae ac Pestini inter aniles fabulas reposita est, et ceteroquin Mandicsium nulla in parte tangit.

III. Adhuc semel in circum prosilit insignis, si Diis placet, Athletes *Fogassius*, ut socium Hieronymum putido haerentem in luto extrahat. Fingit, (pag. 55.) aut recenset historiam, quomodo Ferkius, et Sebastianovicsius, ambo a Capitulo ad postrema Regni Comitia ablegati „ Parochos, quos Episcopus a sua Majestate ad vacantes in Capitulo „ Zagrabiensi Canonicatus clementer resolvi „ proposuerat, non tantum turpiloquiis, et „ crassis mendaciis Viennae, et Budae denigrare, sed plane illum turpissimum infamemque passum committere praesumserunt, ut sub mentito Capituli nomine protestationem, quam aperta fronte Consilio „ ordinaria via .... exhibere sibi non fidebant, clanculum ad acta referentis Consiliarii subtruserint, id, quod Mandichio ad „ idem Consilium sedenti facile factu fuit. „

Dum

Digitized by Google

Dum protestationem aliquam nomine Capituli Consilio Regio exhibitam ex vobis audio, non possum aliud facere, quam ut quietam vobis noctem apprecer. Somniatis enim ambo egregie. Nulla in Consilio ejusmodi protestatio exhibita, nulla inter acta reperta, nulla inde rejecta fuit. Hoc mihi Cribratori creditote, qui dum Budae Protocollum Exhibitorum intrassem, materiam pro meo cribro aptam inde petiturus, aliud non reperi, quam vestras Reflexiones in angulo uno inter segmina papyri aliasque sordes jacentes, et jam transeuntium pedibus egregie conculcatas, quas dum humo sustulissem, in Croatia ventilandas, omnes qui aderant, in risum soluti ad me dicebant: *Papae! pulcram tu invenisti larvam, quae cerebro careat.*

Quod autem duo hi Canonici, Ferkius nempe, et Sebastianovicsius Viennae vel Budae Candidatos ab Episcopo propositos *turpiloquiis, crassisque mendaciis* supplantare voluerint, quis quaeso id sibi de viris gravibus, omnique scientiae laude conspicuis persuadebit? Si tamen factum est, id tanquam privatum factum toti Corpori appingi non debet. Fieri enim potest, eos aliquem e suis clientibus commendare voluisse; qua occasione fit plerumque, ut unum, quem provectum cupimus, plusculum laudando, alterius, ab alio propositi, laus minuatur.

Digitized by Google

Antequam manum de tabula, ut ajunt, tollam, id adhuc vobis in mentem revocare volo, Sebastianovicsium Poetam celeberrimum, ad summum inter Arcades Olympum evectum, illic quotidiana Deorum Dearumque familiaritate frui. An nescitis, vatem laedere idem esse, ac saxa in coelum jacere, bellumque Diis ac Deabus omnibus indicere? vae vobis, iterum dico, vae, nisi Lethaeis demersi aquis vos abluëritis, et sic iram ejus, quam provocastis, mitigaveritis. Alii quidem homines iram asperioribus verbis produnt; at Poetae, nihil mediocre moliri scientes, in furias aguntur, hostesque diris devovent. Legite, si non creditis, vel solum carmen Ovidii, quo maledicum Ibin coram orbe Romano confecit. Et ideo moneo vos, revocate, dum licet, quae scripsistis, nam, fateor, *vestigia* me *terrent.*

IV. Jam nunc ad te Francisce Koosz, qui haud ita pridem Canonicorum Collegio adscriptus es, ordo venit. Tu honesti, si Diis placet, Duumviratus hujus testimonio, (pag. 56.) ad Canonicatum non per portam, sed fenestram, id est non *per merita*, quae in te nulla erant, sed *per amicos*, potissimum per Mandichium saltasti.

Nolite id credere Populares mei! hic quoque nobile par fratrum pulverem in oculos vestros spargere, si possit, tentat. Koszius,

Digitized by Google

szius, qui impetitur, multis annis in Sclavonia sacri Curionis munus ita gessit, ut communem sibi amorem, atque existimationem non modo a Parochianis suis, sed a vicinis etiam, praesertim autem a Praefectis tam politicis, quam militaribus conciliaverit, indeque adeo a Comitatu Veroecziensi, Consilio R. locumtenentiali pro Canonicatu commendari meruerit. Ea res Praesulem Zagrabiensem, cujus constans, ac perpetua lex est, tantum aequitatem ducem sequi, latere non potuit, itaque, quinis nuper sedibus Canonicalibus vacantibus, inter complures alios, hunc quoque virum omni laude dignissimum, in Candidatorum numerum retulit, Regique proposuit. Patet igitur, Hieronymum non veritatis studio, sed vel invidiae spiritu, vel indigno honestos viros conviciandi impetu abreptum dicam novello huic Canonico, qui Zagrabiae etiam nunc nominis sui famam egregie tuetur, et ab omnibus amatur, impingere voluisse.

V. Omnia haec, quae hactenus attulimus, ludus sunt, si cum inaudita illa duorum histrionum impudentia, qua plerosque e Canonicis, ne quidem nominibus eorum parcendo, a familiari cum femineo sexu consortio iniquissime notarunt, comparentur. Equidem ad manifestas utriusque calumnias sequenti paragrapho, dum de Capitulo Za-

gra-

Digitized by Google

grabiensi in genere agetur, conveniens responsum dabitur. Id tamen hoc loco silentio praeteriri non potest, nec debet, quod audacissimi scurrae ne quidem venerandis duobus senecionibus, Praeposito Majori Zagrabiensi Francisco Popovich, et Collegiatae Ecclesiae Chasmensis itidem Praeposito Joanni Josipovich virulenta sua lingua pepercerint, quorum alter octuagesimo prope aetatis anno exacto nobilem nuper cum universali luctu edidit animam; alter jam 70. et ultra agens annum, adhuc in vivis est. Ambo hi viri longa annorum serie multiplicibus servitiis integra fide, ac indefesso zelo editis, de Rege, de Patria, de Ecclesia Zagrabiensi, de ipso Capitulo optime meriti fuerunt, ut adeo prioris quidem veneranda quotidie supersit, et supererit, donec Capitulum stabit, memoria; posterior vero in totius Capituli deliciis habeatur, atque tanquam pater et colatur ab omnibus, et ametur. Et tamen his duobus inculpatae vitae capitibus miselli duo de trivio homunciones ausi sunt infami suo scripto objicere, eos *tantum propter decrepitam aetatem malitiam reliquisse.* Quis non ringatur? — Sed enim .... *praestat motos componere fluctus.*

Id satis nobis, omnibusque honestis viris pro consolatione esto, virtutem utriusque

viri

Digitized by Google

viri in eo apice positam esse, ut latratus canis usque ad eos penetrare non possit.

Sed contiscescente paululum *Szabadhegyo*, dentatus ejus collega nondum conquiescit. „ Joannes inquit (pag. 17.) Josipovich „ senior Canonicus Episcopum plane *Schismaticum* propterea compellat, quod meliorem in processionibus ordinem servandum „ demandaverit, hacque de caussa, *quoties* „ *Episcopus aut sacrum decantat, aut in choro* „ *est, iste in Ecclesia non videtur, infirmitate,* „ *senectute excusatus.*

Processio! Schismaticus! quomodo haec duo componi possunt? non est hoc, quod Horatius dicit;

Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit.

Apage, ludio insane, et exhibe fabulam hanc plebi inficetae, non autem erudito orbi, qui virum ita illuminatum, uti Josipovicsius est, processionis ordinem paululum mutatum ad schisma retulisse non credet, aut, si simile aliquid ab eo dictum est, seniculum, inter amicos paulo hilariorem, jocari voluisse, sibi persuadebit. Id vero, quod Josipovicsius Episcopo praesente templum devitet, ipsa inepti notatoris narratio confutat, ostenditque, eum instar aranei ex quavis actione, quantumvis innocua, venenum exsugere. Utique viro septuagenario condonan-

Digitized by Google

nandum est, si rarius, seu Episcopus praesens sit, sive non, praesertim hiemali tempore intra vastos, eosque gelidos Ecclesiae Cathedralis muros conspiciatur.

Pro coronide illud vobis Reflexores! Divi Hieronymi effatum in memoriam revocare debeo: *Non est facile de provecta aetate credendum, quam et vita praeterita defendit, et honorat vocabulum dignitatis.* a)

VI. Unus adhuc superest Franciscus Milasinchich, quem ridiculus scholiastes (pag. 23.) pro exemplo adducit, quomodo Canonici *supina* sua *negligentia* et *sordida avaritia* reparationem domorum Canonicalium negligant. Non est operae pretium inanem hanc objectionem refellere, quae aliquot tegulis, et modico caemento apposito suapte evanescit. Utinam ita facile aliquod caementi genus reperiretur, quo imparum unius, et alterius nugatoris os, ne honestorum virorum famam amplius roderent, obstrui posset! — De reliquo adsunt et sacrorum Canonum Statuta, et leges Patriae contra morosos aedificiorum beneficialium reparatores, quae si non observantur, utique non eorum, qui aedificia negligunt, sed eorum, qui negligi sinunt, culpa est.

§. 11.

a) Epistol. L. II.

Digitized by Google

§. 11.

Adhuc ignis, et flamma vomitur in Capitulum Zagrabiense, Cribrator in auxilium properat.

Hactenus immanes duo dracones in particulares quosdam Ecclesiae Zagrabiensis Canonicos ignem et flammam vomuere, nunc jam universum Capitulum, nemine excepto, aggrediuntur. Nolite trepidare. Hercules in Lernaea palude hydram feliciter clava sua prostravit; quis scit, an non et Cribratori aliquis Deorum, Jupiter, aut Apollo aderit, eique clavam suam commodaverit, qua

Monstrum immane, ingens,

humi sternat. Procedendum ea in re ordinate est, ita enim victoria certior sperari poterit.

Objectio I. (pag. 12. 18. 19.) „ Canonici „ omnes in genere otiosam vitam ducunt — „ nullam activam vitam ducunt — inutiles „ sunt DEO, Regi, Patriae, Ecclesiae, „ Proximo, et sibimet ipsis. „

Principio tibi *Szabadhegyi*, lubens concedo, Canonicos Zagrabienses DEO inutiles esse. Quam enim utilitatem DEUS, sibi ipsi sufficiens, ex misera creatura habere potest? — Ita etiam de eo, an et sibi quoque, ut tu ais, inutiles sint, disputare tecum nolo: licet id cum tuis principiis minime cohaerere vi-

Digitized by Google

videatur, qui commessationes, divitias, opes, commoditatemque vitae iis toties objectas. Interim, ne dicatur, *qui sibi malus, cui bonus?* cogor cum bona venia, hanc tuam propositionem ex unico hoc principio negare.

Cardo ergo rei in eo versatur, an Canonici Zagrabienses Regi, Patriae, Ecclesiae, et Proximo inutiles sint, quippe nullam activam vitam ducentes, verum turpi, et inglorio otio marcescentes? — Equidem hanc quaestionem suapte resolvendam judico, si Capitulum, et Canonicos sub diversis respectibus consideraverimus.

Canonici sunt praeprimis, juxta sensum sacrorum Conciliorum, et SS. Patrum *Senatores*, et *Consiliarii* Episcoporum. Hoc est illud Corpus, quod jam in primitiva Ecclesia Episcopis sub nomine *Presbyterii* constanter adesse debuerat, quodve in Conciliis, et Synodis, ac in ipso etiam Tridentino (sess. XXIV. cap. 12.) *Senatus Ecclesiae* nomine merito compellatum fuit. Vi hujus muneris I. Episcopi Canonicos ad latus suum habere solent. II. In arduis negotiis eorum consiliis utuntur, aut nimium accumulatos labores cum iis partiuntur. III. Eos sibi in visitatione Dioecesium, aut ministratione sacramentorum adjutores adsciscunt. IV. Eorum curae educationem Cleri junioris concredunt. V. Iis caussas matrimoniales judicandas, iis di-

rectio-

Digitized by Google

rectionem Dioecesium, et inspectionem in vitam moresque Cleri, vicaria potestate, in Consistoriis, et extra illa committunt. VI. Ex eorum Coetu Archidiaconos, qui (cum Episcopus toties Dioecesim peragrare non possit) Dioeceseos Districtus visitent, ordinent, abusus tollant, defectus corrigant, deligunt, delectosque Regi proponunt. VII. Eorum ministerio utuntur Episcopi, dum solenniter in Ecclesia pontificant. VIII. Cumque Episcoporum praecipuum munus sit, verbum DEI praedicare, nihilominus tamen variis non raro Dioeceseos curis, et negotiis impediantur, frequenter et hanc gloriosam provinciam Canonicis relinquunt. IX. Canonicorum curae custodia Cathedralis Ecclesiae cum accessoriis, nec minus capitalia ejusdem subsunt, quod secus ad Episcopi munus pertineret. X. Episcopo aegrotante, aut impedito, ad Vicarium ejus, eo vero mortuo, ad Capitulum recidit moderatio Dioecesis. XI. Post mortem Episcopi universus Episcopi fundus instructus, ipsaque bona, ne quid vacante sede pereat, sub curam Capituli recidunt. XII. Sacra Concilia diversos casus definiunt, quibus occurrentibus Episcopo non licet agere, nisi consulto, et consentiente Capitulo, uti dum de abalienanda aliqua bonorum Episcopalium parte etc. quaestio est. — Haec et plura alia onera Canonicis incum-

 bunt,

Digitized by Google

bunt, et tu eos Batylle, otiosos, inactivos esse dicis? aut forte Canonicos Zagrabienses his se oneribus subtrahere ais? — At universa Civitas Zagrabiensis, quid? totum Regnum mendacii te arguet.

Canonici, ut *Cives*, ut Patriae filii I. Nullis se oneribus publicis subtrahunt, quibus alii Nobiles subjecti sunt. II. Generalibus Regni Comitiis intersunt, Congregationes Regni, et Comitatuum frequentant. III. In Deputationibus cum ceteris Statibus collaborant. IV. Patriam armis, pecuniis, corpore, vita ipsa defenderunt; pro eadem bona sacrificarunt, subditos elibertarunt, arces, munimenta erexerunt, imo seculo XVI. et XVII. pro salute Patriae non modo privatas suas facultates, sed universum etiam Ecclesiae thesaurum impenderunt, ut adeo summa in egestate, prout ex ejus temporis testamentis et inventariis eorum apparet, victitare coacti fuerint; quodsi necessitas postulaverit, idem quovis tempore facturi. V. Multas pias fundationes fecerunt, quarum beneficio juventus studiosa eruditur, seminaria florent, pauperes sublevantur. VI. Testamentis, donationibus multos Patriae filios juverunt, e pulveribus extraxerunt, felices reddiderunt.

Canonici, ut *Litterati*, et *Nobiles* I. Juventutem Ecclesiasticam domi, et in exteris Provinciis moderati sunt, et nunc moderantur.

Digitized by Google

tur. II. Ex eorum gremio Cancellaria Regia Referendarios, uti Patachichii olim fuere, Consilium Consiliarios, Tribunalia Judices obtinuere, et actu obtinent. III. Ex eorum gremio Academiae Directores, et Professores, ipsae Scholae nationales Inspectores acceperunt, et accipiunt. IV. Multi in Capitulo Zagrabiensi fuerunt, qui scriptis utilibus libris Rempublicam Litterariam auxerunt. Nunc quoque inter eos praestantissimi Theologi, insignes Philosophi, Poetae celeberrimi, Oratores eloquentissimi reperiuntur. Et hoc est otiari! hoc Regno, hoc Patriae oneri esse potius, quam utilitati!

Canonici, ut *Personae authenticae* (cum Capitulum juxta Leges Patrias locus credibilis sit) I. Publicum Statuum Archivum custodiunt, ordinant, in elenchos digerunt. II. Fassiones, Contractus, omnisque generis litteralia documenta excipiunt, et expediunt. III. Statutionibus bonorum, variisque lege praescriptis functionibus in Regnis Croatiae, et Sclavoniae pro testimonio intersunt, Regique relationes faciunt.

Canonici, ut *Domini terrestres*, varia domi officia gerunt. Alii bona regunt, alii communes administrant pecunias, alii molestissimam piarum summarum curam gerunt, omnes simul, quoties majoris momenti negotia occurrunt, congrediuntur, consultant,

Digitized by Google

et pro communi bono junctis viribus collaborant.

Vide sis miser *Szabadhegyi*, quantam injuriam venerando huic Coetui intuleris, qui inde a prima sua fundatione semper sedulo, semper pro commodis Regno, Patriae, et Ecclesiae proximisque procurandis desudavit, et nunc desudat; imo si etiam Canonici otio torpescere vellent, ob tanta publica non minus, ac privata negotia sibi incumbentia, et quotidie recurrentia, majore saltem in parte, non possent. — Vita boni alicujus Parochi, qualis tu non es, activa omnino est; sed non convenit, ut eorum aliquis propriae laudis cupidine usque adeo se excoecari sinat, ut omnes alios fratres suos otio diffluere, paneque gratis vesci dicat. Habeo ego opilionem, qui oves curae suae creditas magna diligentia pascit, laudemque seduli pastoris meretur; sed si ille me dominum suum, tum villicum, villicam, servos, ancillas, aliosque domus familiares nihil agere putaret, et coram aliis jactaret, utique cerebrum ei perturbatum esse, nemo non diceret.

Objectio II. (pag. 13. 48.) „ Canonici nun-
„ quam ad mentem sacrorum Canonum pro
„ obligatione chorum frequentant, nunquam
„ per se in Ecclesia sua psalmodiam perfi-
„ ciunt. — Et ideo si sacri Canones stant,
„ et obligant, salutem animae nunquam spe-

ra-

Digitized by Google

„ rare possunt, nisi omnes perceptos fructus „ inde a susceptione Canonicatuum suorum „ restituerint, et in pauperes distribuerint. „

Hoc est, quod tu, multique alii tui similes Canonicis Zagrabiensibus toties ogganiunt: qui si sacros Canones, quos continuo crepant et historiam attente legissent, profecto palinodiam canerent. Equidem omnes ii, quiqui Ecclesiam Cathedralem Zagrabiae aliquando frequentarunt, et nunc etiam frequentant, uno ore testabuntur, nunquam se horis sive matutinis seu pomeridianis illa in Ecclesia interfuisse, quin jam plures, jam pauciores, semper tamen aliquos e Canonicis in stallis psallentes, aut orantes conspexissent. Id enim ut omnes, nullo excepto, praesentes in choro adsint, cum alios senectus, debilitas corporis alios, nonnullos absentia, multos autem graviora negotia excusare possint, stultum foret postulare.

At at! arrige aures *Szabadhegyi*! en! duo tibi problemata proponam, quae tantae firmitatis esse puto, ea ut haud facile abs te everti posse confidam.

Ajo igitur *primo*: Canonicos ad frequentandum chorum, ibique psallendum, nisi ex privata sua pietate velint, obligari non posse, aut certe longe minus obligari debere, quam Canonicos in Italia aut Germania.

Digitized by Google

Ajo *secundo*: Etsi omnibus aliis Capitulis obligatio chorum frequentandi quacunque lege incumberet, Capitulum tamen Zagrabiense ab ea lege specialiter exemtum esse.

Ut veritas primae propositionis appareat, regrediendum nobis est ad primaeva Ecclesiae tempora. Prioribus Ecclesiae seculis penes singulas Cathedrales Ecclesias aderat Sacerdotum, et Diaconorum Collegium, alio nomine *Praesbyterium* dictum, cujus officii fuit, Cathedralis templi ministeria, et officia obire, tum Episcopum consiliis, et opera adjuvare. Aderant etiam in singulis Cathedralibus Ecclesiis *Cantores*, ex infimis Clericis deligi soliti. — Successive Collegium hoc Sacerdotum et Diaconorum in Coetum Canonicorum transivit, qui (ut verbis Cabassutii Dissert. XVIII. utar) *ex omnibus Ecclesiae Cathedralis functionibus non sacrificia, non sacramentorum, non doctrinae, non Catheches-son, non verbi DEI ministerium, sed munus sanctum quidem, his tamen longe inferius, Ecclesiasticum cantum adsciverunt, qui cantus solis olim infimis Clericis reservabatur.*

Cantum erga in Ecclesia sponte sibi delegerunt Canonici, cur ergo ab hac obligatione aeque *sponte* recedere non possint, si ei insistere non velint? cum triti juris sit, *qua quid ratione colligatum est, eadem et dissolvi posse?* — Facile olim fuit chorum frequenta-

re,

Digitized by Google

re, dum Canonici penes Cathedralem Ecclesiam uno in domicilio, quasi monasterio habitabant, omniaque communia habebant; sed jam nunc in separatis degunt domibus, nec illis amplius communis est mensa, nec culina, nec penus. Mutatis ergo per temporum vicissitudines rerum omnium circumstantiis, cur vetusta solum in choro psallendi consuetudo in perpetuum manere debeat? — Accedit, quod Canonici illa aetate nullum in Ecclesia ministerium obiverint; non peragebant divina, non exaudiebant confessiones, non erant Archidiaconi, non Concionatores, non Doctores; unicam ergo cantandi obligationem explere utique poterant, imo et debebant; at nunc dum multiplicibus, summique in Ecclesia momenti officiis humeros submiserunt, justumne quaeso est, ut et cantu, quem infimus quisque Clericus perficere potest, graventur? — Nonne principale omni tempore Monachorum munus fuit, estque in choro psallere, et tamen quamprimum ii vel scholis docendis nostra hac aetate admoti fuere, illico a dura lege chorum frequentandi se ipsos dispensarunt; antea vero Jubilatus, Lector, Concionator, Oeconomus etc. omnes denique ii, quibus speciale aliquod munus incumbebat, ab hocce onere immunes fuerunt; et Canonicis id facere integrum non sit? — Conciliorum aliquot sanctio-

Digitized by Google

etiones objicis? At ego Romanum tibi Concilium praesidente magno Gregorio Papa (*cujus ipse meminit l. 4. Epist. 44. et refertur Dist. 92. cap. in sancta Romana*) retorqueo, in quo claris verbis Presbyteris, et Diaconis in Ecclesia cantare vetatur eo, quod *essent sanctioribus, et sublimioribus officiis addicti.* — Sed quis nobis hac in re melius lumen suppeditabit, quam Ecclesia Orientalis, quam antiquissimum primorum seculorum ritum ne in minimo quidem mutasse palam est. Accedite increduli! Graeci ritus Cathedrales Ecclesias, Graecas seu Russicas, Rascianicas, seu Valachicas, Unitorum, seu non Unitorum, et videbitis, pro cantu Ecclesiastico non Presbyteros, non Canonicos, sed partim Seculares, partim minoris notae Clericos ubique aequaliter adhiberi; et nos consuetudinem veteris Ecclesiae ritui usque adeo contrariam hoc etiam illuminato seculo, quo monasticas in choro declamationes jam non tanti faeimus, mordicus tuebimur?

Quodsi tamen in Capitulis Hungariae esset aliquis, qui argumentis his ab homine seculari propositis cedendum haud esse putaret, non equidem obsistimus. Id tamen nullo unquam tempore concedemus, Canonicos Zagrabienses ad frequentandum chorum, ibique psallendum, nisi sponte velint, obligatos esse. Capitulum enim Zagrabiense

(uti

Digitized by Google

(uti in Historiae Ecclesiae Zagrabiensis, a Balthasare olim Kerchelichio Canonico Zagrabiensi edita, pag. 88. legimus,) jam anno 1269 in Cathedrali Ecclesia *Mansionaribs*, seu Praebendarios firma, ac perpetua lege eum in finem fundavit, ut, cum Canonici *partim propter labores*, praecipue autem *Archidiaconatuum* curam, partim ob frequentiorem necessariam *absentiam* officium divinum in choro, et quotidianam de B. M. V. votivam missam absolvere non possint, *illud onus ipsi Praebendarii in perpetuum supportare teneantur.* Quid respondes *Szabadhegyi*, tuque hoc paululum doctior *Fogassy*? dicetis forte Regum, Sedisque Apostolicae consensum Fundationi defuisse? nihil minus. Bela enim IV. eandem consensu suo Regio, Clemens autem IV. ad preces, et commendationem Philippi Strigoniensis, et Stephani Colocensis Archiepiscoporum Bulla Pontificia Vitterbii anno 1269 edita confirmavit. At ad Concilium Tridentinum tu me revocas? quod (Sess. XXIV. C. 12.) Canonicos *ad psallendum in choro* obligat; sed estne illud in Ditionibus Austriacis receptum? potestne in disciplinaribus Sanctio Ecclesiastica in Hungaria Regum Privilegia irrita reddere? Fueruntne Patres illo in Concilio congregati de speciali hac Capituli Zagrabiensis circumstantia edocti? — Consectaneum ergo est, *primo*: Cano-

Digitized by Google

nicos Zagrabienses ad frequentandum chorum aliis diebus, quam cum participatio fructuum directe officio divino alligata est, et *absens carens* claris verbis declaratur, nullo jure teneri. *Secundo*: quod hactenus frequentaverint, id bonae solum eorum voluntati, ac singulari pietati, nullatenus autem obligationi adscribendum esse. *Tertio*: *Szabadhegyio*, et *Fogassio* nullam superesse caussam, Canonicos criminandi. *Quod erat demonstrandum.*

Interim boni Canonici Zagrabienses his argumentis, a Seculari propositis (quae an, et quantam in orbe Ecclesiastico mereantur fidedignitatem, viderint, qui haec legerint) nunquam ita inhaeserunt, ut, nisi gravius impediti, a choro se se absentarent. Eodem spiritu nunc etiam reguntur omnes, itaque laudandi potius, quam accusandi.

Quod si rariores quandoque Canonicos in stallis canentes conspexisti *Szabadhegyi*, non id tempori, sed justis caussis attribuere debebas. Enimvero duo olim bonorum Praefecti, unus pro defensione Patriae Siscii excubans perpetuo: duo Seminariis regendis admoti; duo in Tribunalibus Assessores utique vi officii excusabantur. Quodsi contigit, uno eodemque tempore trium Comitatuum Congregationes celebrari (prout hoc etiam anno factum est) jam tum sex Cano-

ni-

Digitized by Google

nicos abesse oportuit. Mirumne, si, senibus insuper, et aegrotis, iisque, qui domesticis Capituli avocantur negotiis, in calculum sumtis, pauciores quandoque in choro Canonici numerentur?

Objectio III. (pag. 13.) „ Raro aut nunquam (exceptis duobus, aut tribus) confessiones fidelium in Ecclesia Cathedrali exaudiunt. „

Atqui ad id nec obligantur, sunt enim Canonici, non Parochi. — Deinde in Civitate, in qua vix 6000 habitores, Ecclesiae autem Parochiales quartuor numerantur, id nec necessarium esse in propatulo est. — Pone enim omnes Canonicos singulis diebus Dominicis, et festis in confessionalibus sedentes; quid agent? nempe sedebunt tantum, cum saepe vix tres poenitentes ad tribunal accedant.

Interim tu ipse, *Szabadhegyi*, fateris duos tresve e Canonicorum numero in sacro tribunali assidere solere, quid ultra postulas? — quodsi amplior poenitentium affluxus fiat, uti tempore Jubilaei, tum enimvero, bone vir! ingredere Ecclesiam, et videbis nullum esse confessionale, in quo Canonicorum quispiam Canonicali indutus pallio non visatur.

Denique scire debes, unum aut duos e Canonicis omni tempore esse *Poenitentiarios*, quorum muneris est, iis, qui ex diversis vastae

Digitized by Google

stae Dioecesis partibus ad Ecclesiam metropolitanam concurrunt, gravem e dorso sarcinam eximere. Quod hoc loco ideo a me commemoratur, ut, si quando tibi *Szabadhegyi*, tuoque complici, ad domum Patris redire in mentem veniret, sciatis, hos viros in Capitulo vobis primo loco salutandos esse, ut ex eorum manibus in locum in antiquae vestis mundiorem stolam, cum qua in praesentiam Patris comparere possitis, accipiatis.

Objectio IV. (Pag. 13.) „ Raro per integrum annum sacra celebrant, itaque suffragiis animas defunctorum privant, et defraudant, fundato tamen pro sacris legendis stipendio accurate percepto. „

Hoc equidem *Szabadhegyi*, pace tua, tuique socii, ac fidelis satellitis dictum esto, putidum est mendacium. Ad testimonium totius urbis Zagrabiensis me provoco. Ullane per annum dies, praesertim Dominica, et festiva est, qua Canonici ad aras devote celebrantes, si non omnes, at complures certe, non visantur?

Sed posito, aliquem de numero Canonicorum esse, qui rarius per annum sacrum Missae sacrificium offerat, quid inde concludis? — Parochos lex obligat, ut saltem Dominicis, et Festis pro salute Populi sibi concrediti orent, atque sacram hostiam litent;

Digitized by Google

tent; atqui Canonici nec Parochi sunt, nec Populum sibi concreditum habent. — Communi ergo omnium fidelium lege tenentur, quae oblationem iis imponit, singulis diebus Dominicis, et festis de praecepto sacrum audiendi — non celebrandi.

Id vero perfricta fronte asserere, quasi aliqui Canonicorum usque eo impietatis delapsi essent, ut stipendia quidem acceptent, finem autem, ob quem ea suppeditantur, negligant, est de arcanis cordis, soli DEO cognitis, audax, summeque temerarium sibi judicium arrogare. Hoccine est divinum illud praeceptum: nolite judicare: sequi, a quo nemo Christianorum absque piaculo eximi potest?

Objectio V. (Pag 14.) „ Intra Canonicos „ etiam tam impii numerantur (quod stupendum DEO, et tremendum Angelis) qui „ per integrum annum confessionem non peragunt, et si in coena Domini sanctissimam „ communionem de manu Episcopi sumere „ non deberent, fors etiam per duodecim „ annos non confiterentur. „

Digna *Szabadhegyio*, sed indigna homine Christiano accusatio! an tu Argo oculatior, singulis Canonicis, quid mane, quid vesperi, quid per totum diem agant, quando, cui ex tot Sacertotibus, quos semper ad manum habent, confessi sint? testis semper ad-

Digitized by Google

adstitisti? si non, qua ergo fronte, qua conscientia viros sacros tam insigni calumnia afficere praesumis?

Ceterum rursus abs te, bone vir, quaero, exstatne in codice Legum Ecclesiasticarum ulla lex, quae hominem Christianum ad saepius, quam semel per annum, confitendum stringat? aut adest forte aliquod, tibi soli cognitum, praeceptum Ecclesiae, quod Canonicorum humeris majorem obligationum sarcinam imponat, quam reliquo fidelium gregi? cujus, nisi DEI solius est, abdita cordium, renesque scrutari? Ambula constanter in via virtutis, et tum tandem ego, qui te singulis diebus ad tribunal sacrum pellere deberem, si tuus essem Parochus, dicam: *Szabadhegyi! cum Pascha erit, ostende te Sacerdoti.*

Quodsi, vir religiose, talis, qualem status deposcit tuus, fores Ecclesiasticus, si juxta sana logices principia argumentari didicisses, ita profecto in animo tuo concluderes: *aliqui e Canonicis rarius confitentur, animo igitur a vitiis libero sunt, sunt innocentes.* Hoc esset argumentum in forma; non autem illud, quod juxta hominum de trivio consuetudinem in cerebro tuo tibi formasti.

Ob-

Digitized by Google

Objectio VI. (pag. 14.) „ in Cathedrali „ Ecclesia, licet ab Episcopo moniti, con- „ cionari non volunt. „

Aperi *Szabadhegyi* non dico omnia, sed vel solum Concilium Tridentinum, et invenies illic (Sess. V. C. 2.) verbi Dei *praedicationem praecipuum esse Episcoporum munus.* Progredere ultra, et deprehendes legem, qua praecipitur, ut *Archipresbyteri, Plebani quoque, et quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, per se, vel alios homines idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solennibus Plebes sibi commissas — pascant salutaribus verbis.* Ubi Canonicos tu in Tridentino, vel quocunque alio Concilio reperis? aut Episcopos tu forte illos, vel Plebanos esse judicas? si ita; gregem iis prius procures, necesse est. Nam pascere, et gregem non habere est, ut cum Peripateticis loquar, *Hircocervus.*

Attamen quia Episcopos Zagrabienses peramplae Dioecesis administratio, multiplicesque curae spirituales saepenumero impediverunt, quo minus sanctissimo huic, atque speciali officii sui muneri facerent satis, is jam a multis retro annis in Ecclesia Cathedrali invaluit mos, et consuetudo, ut, Episcopo impedito, Canonici serie sua ad populum dicerent. Dic, si audes! *Szabadhegyi*, an unquam Canonici Zagrabienses sacro

huic

huic muneri humeros subtraxerunt suos? redi, si non piget, ad tempora Klobusiczky, Branyugii, Thauszii, Gallyuffii. Fuitne aliquod, sanctissimis his Praesulibus Ecclesiam Zagrabiensem moderantibus, tempus, quo fidelis populus in Ecclesia congregatus, Canonicum, e pulpito verba facientem, non vidisset, non audivisset? *a)*

Quodsi sub moderno Ecclesiae Zagrabiensis Pastore rarius in Cathedra Canonicos conspicis, id non eorum negligentiae, non pervicacitati, non commoditatis studio, verum Apostolico Praesulis nostri zelo adscribas velim, qui nempe in eo summam collocat gloriam, ac delicias, ut ab ovibus suis noscatur, easque non exemplo solum, sed doctrina etiam, dum licet, pascat. At, sine eum aut abesse, aut curis avocari, en operarios Canonicos in via stantes, accinctos, et ad unicum illius verbum expeditos. Nemo, dico tibi *Szabadhegyi*, nemo adeo erit vel vecors, vel officii sui immemor, ut invitante Domino vineae, vineam subire, fodere, et industria manu excolere detrectet.

Et reipsa, dum haec scribo, ad me ruri habitantem digreditur amicus peregrinus, qui

a

a) Synodi Ergelianae Zagrabiensis Anno 1634. celebratae decreta testantur, *Capitulares Ecclesiae Zagrabiensis habito ejus temporis Praelati sui ingravescentis aetatis condigno rospectu, vita ejusdem superstite, omnes in Ecclesia cathedrali conciones in se ipsos ultro ac benevole* (adeoque prima vice) *recepisse.*

Digitized by Google

a visitata Zagrabia ad suos lares redit. Is Cathedralem illic lustrans, Canonicum in ambone vidit, et verba ad populum facientem audivit, imo — quia lectione libelli tui admonitus erat — fieretne id saepius a Canonicis? ex aliis percontatus didicit, Canonicos singulis diebus Dominicis et Festis, ad concionem dicere. Miratus adeo est vir recti cordis insignem temeritatem tuam, qui talia spargere ausus es, quae a veritate abludunt.

Objectio VII. (pag. 14. 19.) „ Etsi 28. „ Canonici Zagrabienses proventum annu„ um supra sexaginta millia habeant, nihil„ ominus tamen proventus suos pingues, et „ superfluos, qui sunt lacrimae pauperum, „ patrimonium Christi, non in pios, et de„ bitos usus convertunt, sed in luxus, com„ messationes, quarum DEUS venter est. *a*) „ splendidas vestes, pompam — vix aliquo „ ex ipsis pauperibus eleemosynam largi„ ente. „

Si te *Szabadhegyi!* Capitulum vel bonis suis, vel aerario praefecisset, mirum non esset, te eorum reditus ita acu tangere potuisse. Sexaginta millia! magnam sane rem dicis, nec nobis, qui seculares sumus, adhuc cognitam. Ita enim aliqui nostrum, quibus lyn-

a) Commessationes ventrem non habent.

Digitized by Google

lynceos natura oculos dedit, nobis persuaserunt, sese severissimo licet instituto calculo, ne quidem *bis mille* florenos, omnibus imputatis, ad ratam unius Canonici portionem, (demtis unice Columnis) eruere potuisse. Hui! bis mille floreni! — Ita sane *Szabadhegyi!* ac ne hi quidem in parato aere, verum curanda est cuique Canonico agricultura, arandum, et occandum, ut vel haec summa compleatur. — Quodsi cui eorum locupletior arrisit fortuna, id non beneficio, sed patrimonio, parsimoniae in Parochia olim adhibitae, privatis acquisitionibus, praesertim autem educillo, tribuendum est.

Quae cum nulli dubio subesse possint, quaero jam abs te, potestne concipi, ut Canonici Croesi thesauros numerent, Attali talentis cistas repletas habeant, Sardanapali mollitie diffluant? — Puto ego id tibi accidisse, *Szabadhegyi*, quod animali carduos, urticas, et tribulos rodenti, quod dum ad stabulum equi venisset, eumque foeno vesci vidisset, exclamavit: *proh invidendam equi sortem, qui foeno vescitur*, — ita tu, cui olla caulium cum suilla in culina fervet, et cujus divitiae e cruciferis Parochianorum longa parsimonia coguntur, denique

Cui nec servus erat domi, nec arca,
nec cimex, nec araneus, nec olla. Catull.

in admirationem raperis, dum in Canonicorum

Digitized by Google

rum mensis quinque, aut septem cibos, et in manu Canonici marsupium non cupreis, sed aureis nummis translucentibus intueris, atque adeo, o prodigalitatem intolerandam! o luxum damnatum! justo correptus oestro, imo vero Apostolico devoratus zelo exclamas.

In cujus tu mensa tempestatem ferculorum, Bohemicos phasianos, Transilvanicos attagines, adriaticos congros, vina autem e Cypro, aut Promontorio bonae spei, vel Madera, Campaniave allata vidisti? ubi tu auro caelatas lances, vitra cristallina, orbes e puro fusos argento? ubi famulorum auro, et argento resplendentium catervam? ubi tubas, et tympana, omnisque generis musicos concentus? ubi Canonicos bysso et purpura vestitos, longumque post se syrma trahentes vidisti? atqui hoc, si nescis, significat, Hieronyme, commessari, hoc luxu diffluere.

An forte tu belle Crito, vel id in Canonicis vituperandum putas, si veste sericea induti incedant, si parietes modestis peristromatibus obductos habeant, si in locum diluvii jusculorum, et struis assarum carnium, quod majoribus nostris in more fuit, mensa eorum septem, aut aliquando etiam pluribus cibis, iisque nobiliori forma, gustuque apparatis repleatur? atqui aliud nunc seculum vi-

Digitized by Google

vivimus, ac veteres illi Canonici, qui sub *Francica*, aut *Ugrino* Episcopis Zagrabiensibus tum demum lautum se hospitibus convivium exhibuisse putabant, cum iis integrum agnum assum apposuerunt, cumque ingentis molis, variaeque formae crateres mero spumantes de manu ad manum migrabant. Ne quid commemorem, quod ea aetate in locum unius librae zachari, quae nunc consumitur, centenarius piperis vel uni Canonico vix suffecerit, cum is tum inter Croatas, nobiliori stirpe prognatos, mos fuerit, matutinis horis hesternam stomachi indigestionem (uti nunc cum arabicis fabis fit) ipiperato vino, melle temperato, et sic decocto, depellere. Scias velim *Szabadhegyi*, Canonicos, qui utique regulam S. Bernardi, aut S. Brunonis professi non sunt, esse viros dignitate Ecclesiastica conspicuos, primaeque nobilium classi ab ipsis Hungariae legibus accensos. Necesse igitur est, ut veste, mensa, totoque domus apparatu, nisi rideri contemnique velint, reliquorum concivium, quos nobilitas, ac honorata vivendi ratio ultra commune vulgus extulit, morem sequantur.

Quo accedit, quod inde a vestussimis temporibus domus Canonicorum ita semper considerari solitae fuerint, ac si publica essent diversoria, in quibus non familiares modo, sed advenae etiam paulo honoratiores,

quam-

Digitized by Google

quamvis non vocati, liberam semper invenere mensam. Inde adeo factum est, fitque etiamnum, ut complures Canonicorum, praesertim seniores, mensam, pro 12, quandoque et 20 hospitibus nulla non die sterni jubeant. An tu, bone vir, et hoc improbas? non tu ipse (pag. 27.) fassus es, *virum Ecclesiasticum hospitalem esse debere?*

Sit in pios, inquis, usus. Nihil, nihil in pauperes ex tanta rerum abundantia convertitur. Quis hoc asserere audet? — Publica te fama confutat. Legantur testamenta Canonicorum, pervolvantur Acta publica, inspiciantur seminaria, convictus, scholae, templa, bibliothecae, nosocomia, aedes deficientium; interrogentur centenae in Croatia familiae, Canonicorum liberalitate adjutae, in altum evectae, aut ab interitu vindicatae; et in omnibus luculenta, indubia, pulcherimaque invenientur munificentiae Canonicalis exempla. Quo accedit, quod undecunque mendicus Zagrabiam veniat, is, etsi coecus sit, recta portam Capitularem intret, et Canonicalium culinarum odorem sequatur. Conticesce ergo, et venerare Coetum Regno, Ecclesiae, privatisque utilissimum.

Objectio VIII. (pag. 12. 13.) „ Praemissi „ Canonici cum scandalo residui Cleri, et „ totius Patriae intestinis discordiis, odiis,

Digitized by Google

„ dissensionibus, ac perpetuis cum aliis liti-
„ bus implicati sunt. „ (pag. 17.) „ Episco-
„ pum suum iidem Canonici vivum non pa-
„ tiuntur, ejus virtutes pro vitiis reputant,
„ vituperiis afficiunt, denique, ut ex publi-
„ ca omnium relatione audire debuimus, eo
„ dementiae devenerunt, ut eundem intoxi-
„ care nitantur. „

Quod Capitulum in concreto, non autem privati Canonici, quandoque cum Secularibus litigent, connaturale est. Ubi enim bona, ac dominia sunt, ubi territoria metis distinguuntur, ubi capitalia Ecclesiarum, seminariorum, aliarumque piarum fundationum in censum locantur, ubi debitores nec usuras rite dependunt, nec capitalia tempori restituunt, ibi nec Judices, nec Advocatos feriari credere licet. Si Nobilis trium jugerorum agrum, et 50 spitamarum vineam possidens, uti in campo Turopolya, et apud accolas montis Kalnik videre est, tamen Verbőczianis armis, vel vicinum impetit, vel impetitur a vicino, quidni et Capitulum, in diversis Regni partibus, in ipso adeo Districtu Temessiensi amplis dotatum possessionibus, durae Hungarorum, sed praesertim Croatarum Nobilium litigandi necessitati vel invitum quandoque cedat?

At inquieti Canonici etiam inter se odia fovent, et mutuis lacerantur discordiis? —

Mi

Digitized by Google

Mi *Szabadhegyi!* quaere Civitates, intra in collegia doctorum, in coetus virorum Religiosorum, in claustra monialium, in nosocomia aegrorum, in vetularum xenodochia, amplius dico, ingredere in privatas domos, et ubique tibi occurrent jurgia, lites, dissensiones. Unicus in Pago est Parochus, et tamen quoties jam cum familia, jam cum vicino Nobili, jam cum Parochianis pugnat, contendit, et quandoque in apertum prorumpit bellum! et miraris, in Capitulo, intra 28 Canonicos lites quandoque et discordias oriri? nae tu parum nosti *Szabadhegyi* naturam humanam. Hane enim si nosses, utique in locum jejunae tuae subsumtionis cum Terentio diceres: *homo sum, humani nihil a me alienum puto.* Quamdiu mortale hoc corpus circumferimus, frustra Hieronyme, frustra animi quietem speramus. Ira, odium, ambitio, invidia, aliique animi affectus nos in diversa non tam trahunt, quam raptant, ut nempe vel hinc cognosceremus, aliam nobis spectandam esse patriam; illam nempe, ubi constans pax, et perennis tranquillitas sedem fixit. — Quiesce igitur Hieronyme! et sine Canonicos Zagrabienses, quidquid intra se agunt, in pace. Nihil est, in rerum natura tam stabile, quod non ad finem pertingat. Si hodie fluctus in vasto hoc mari in altum assurgunt, cras, spes est, jam subsident.

Digitized by Google

Procellosae tempestati, quae hodie nos exterruit, cras amoena succedet dies. Ita inter omnes homines, ita intra Canonicos fit. Hodie discordes eorum sunt animi, cras mutuus eos junget amor. Adversarii hodie, cras amici.

Ita et cum dignissimo Praesule Zagrabiensi, ne dubita, fiet. Etsi enim de ritu Romano, de seminariis, ac de aliis etiam forte materiis obortae quaestiones Episcopi, et Capituli animos in diversas traxere sententias: certus tamen esto, venturam brevi diem, quae motos inter caput et membra tantillos fluctus feliciter componet. Neque ullus cogitare poterit aliter, quisquis et mitem Episcopi animum, et Canonicorum, non personae, quam colunt, sed sententiae adversantium intimam erga Praesulem suum venerationem aequa lance libraverit.

Quod cum ita sit, qua fronte tu mi *Szabadhegyi!* et tu *Fogassi!* sacro illi Coetui tam nefandam impingere audes calumniam? — Canonici, in civili nati societate, intra Nobiles educati, spirituali Ecclesiae Christi lacte enutriti, illi inquam Canonici, quos virtus, scientia, morum integritas supra candelabrum posuit, ut nobis Secularibus lucerent, eo temeritatis, imo, ut tute ais, *dementiae* prolapsi sint, ut sanctissimum, integerrimaeque vitae Praeclatum suum, decus Patriae,

Digitized by Google

triae, delicias nostras, vituperiis afficere, ejus virtutes, quas vel paganus, vel haereticus suspicere debet, nihili pendere, imo, quod vel cogitare horrendum, toxicum ei parare audeant! abi e conspectu hominum. Abi inquam, et propter enormem hanc calumniam vindicem DEI manum exspecta.

§. 12.

Capitulum ardet.

Objectio IX. (pag. 14.) „ Canonici — „ Patrimonium Christi in sexum sequiorem, „ atque meretrices consumunt, quas partim in domibus suis servant, partim occultis viis, et modis ad se venire, et adduci „ faciunt. „

Non satis fuit tibi *Szabadhegyi!* venerabile Canonicorum Zagrabiensium Corpus turpissimis calumniis, modo recensitis, maculare; verum tuum dirissimo felle imbutum calamum in singula adeo illius membra stringere audes! ipsa eorum veneranda nomina in publicum profers, et quam quisque in domo *mulierem* habeat, initialibus cujusque litteris exprimis. Quis non indignetur? quis viros dignitatibus Ecclesiasticis inclitos ita propudiose maculari tranquillo ferat animo? quis viris, quorum alii Regia gerunt munia, alii Parochis praesunt, alii in domesticis Capituli servitiis jam consenuerunt, non in sola

Digitized by Google

modo Croatia, verum in aliis quoque Regionibus tam gravem inuti labem, non ringatur? quis denique tot matronarum, a vitae integritate commendatarum, quae in domibus Canonicorum, qua proximae eorum cognatae, tum aliarum mulierum, quae tanquam personae ad oeconomiam administrandam necessariae ibidem victitant, vel denique earum, quae ad eos, necessitate forte premente (*quia mendicare erubescunt*) accedunt, famam tanta notari macula non exhorescat? non agatur in iras?

Verum nolite turbari viri religiosissimi! cogitate, qui sitis vos, et quis, qui venenatam adversus vos exerit linguam? — Vos estis Canonici, vos Doctores Ecclesiae, vos fulcra Religionis. Vestra virtus altior est, quam ut dente peti, illustrior, quam ut calumniae in vos jactae vel apud vilissimum quemcunque fidem invenire possint. — At quis est, qui contra vos insurgit? unus *Szabadhegyi*, alter *Fogassi*, id scire satis est. — Nulla vobis defensione, nullo opus est patrono; vel *Szabadhegyium*, atque *Fogassium* nominare, jam maxima est omnium, quae vobis objiciuntur, refutatio, major certe, quam quae vel a Cicerone, vel ab Hortensio praestari posset. Qui enim infamem eorum librum vel semel legerit, is primo statim ob-

tu-

Digitized by Google

tutu inveniet, manibusque in illo capiet binos, ut Phaedrus ait — — — A — —

Quapropter ipse quoque jam stomachari desino, solitoque restitutus genio, jam et ludere cum morionibus non abnuo. Eja ergo *Szabadhegyi*! tu nobis festive recenses Canonicos, qui vel mulieres in Gynaeceo alunt, vel ab iis jam recta, jam obliqua frequentantur porta. Bellas profecto res! quibus vel ipsa tristitia ad risum concitari possit.

Sane nullum Canonicorum Collegium est, non Zagrabiae modo, sed ne in omnibus quidem Austriae, Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, Sclavoniae, Galliciae, Lodomeriae etc. etc. (prout titulus est Regum Hungariae) Ditionibus, in qua Canonici mulieres in domo non haberent, ac insuper cum mulieribus et domi et foris quandoque non convenirent, non conversarentur. Non profitentur enim Regulam S. Francisci. Sed sunt Petri, qui monasticum habitum non gestavit, successores. Hoc ergo malum non est, quia, si malum esset, inter tot Canonicos prudentia, sanctitate, famaeque integritate insignes utique multi, imo plurimi reperiuntur tam tenerae conscientiae, ut illud angue pejus, et igne devitarent. Si autem mulieres in domo habere, cum iis conversari, malum non est, cur ergo id in Canonicis Zagrabiensibus, homo simplicissime, tanta cum severita-

te

Digitized by Google

te improbas? cur tu ipse partem Congruae Parochorum non minimam alios in usus assignas?

At aliquorum cum mulieribus suspecta est conversatio. — Ad hoc respondeo, nec sanctissimi Pontifices, et Patriarchae, nec pientissimi Episcopi, et Praelati suspiciones, dicteria et criminationes malevolorum effugere potuerunt. Quotusquisque vestrum est, o Parochi! ab hoc venenatissimarum linguarum afflatu liber? quomodocunque castam ducere vitam conamini, non desunt tamen obtrectatores, qui vos suspectae jam cum coqua, jam cum hac, vel illa muliere conversationis non arguant, non diffament, non accusent.

Quid faciendum? omnes ergo mulieres, nulla excepta, e vestris, et Canonicorum domibus, ut scorpiones exigendae, ejiciendaeque sunt? perpetua inter vos, et omne genus mulierum inimicitia, uti olim inter Evam et serpentem facienda est? o stultam cogitationem! — jam primum mediam humani generis partem sexus muliebris efficit, quis nisi demens mutuam virorum cum alio sexu societatem impediendam esse cogitare, vel suadere potest, cum illo inquam sexu, qui nobis in vitae adjumentum, etiam extra matrimonium, a sapientissimo rerum omnium conditore, patreque humani generis, datus est

Digitized by Google

est. — Et vero tolle Canonicis, tolle Parochis mulieres, tum demum in sicco sedebunt. Quis iis coquet? quis lineam rem curabit? quis vaccam mulgebit? quis alatilia educabit? quis hortulum curabit? quis panem pinset? quis lavabit? an viri? at possuntne ita apti, ita seduli, ita patientes inveniri? eruntne in omni loco, qui his se servitiis addicere velint? scientne ita, ut mulieres ab ipsa natura ad id comparatae, haec ministeria obire? interestne Reipublicae tot millenis feminis laborandi, vivendique occasionem adimere, contra autem tot millenos viros aliis utilioribus Reipublicae servitiis subtrahere! somnia, nugae, Respublica Platonica!

Quae cum ita sint, servate jam dehinc o Canonici, et vos o Parochi mulieres in domibus vestris, conversamini cum iis! Nec Deus, nec natura, nec leges, nec ratio id vobis vetant. Ipsi sacri Canones, ipsa Concilia tantum *concubinarios* condemnant, et personas non *uni*, *altertive hypocondriaco*, quales vestri antagonistae sunt, sed populo *suspectas*, et ad notitiam publicam malae vitae, morumque pravorum, a vestro arcent consortio. — Decretis Conciliorum mire consentiunt etiam particulares Dioecesis Zagrabiensis Synodi ac nominatim *Borkovichiana* anni 1687, quae non mulieres, sed suspectam cum mulieribus conversationem et fa-

mi-

Digitized by Google

miliaritatem damnant, ideoque prohibent, *ne mulieres ab hypocaustis, et cameris, ubi Parochus, vel Sacerdos versari solet, et cistis ac armariis claves deportent, neve familia in eadem cum Sacerdote contignatione habitet.* — Quibus Conciliorum et Synodorum Decretis, si quis e Canonicis suffragaretur, personasque reipsa suspectas in domo aleret, (quod quidem non supponimus) utique Episcopo plurima ab ipsis adeo Conciliis praescripta remedia in promtu adsunt; quibus mulier separari, et sic ulterior justarum suspicionum janua obstrui possit: imo inter ipsos etiam Canonicos non defuturos viros sanctioris vitae, supponi debet, qui, unam e ceteris scabiosam ovem observando, de ea e sano grege repellenda utique solliciti erunt, ne dicatur, *una scabiosa ovis totum gregem inficit.*

Vobis autem juratis feminei sexus (si Diis placet) osoribus, caste *Szabadhegyi*, et hoc castior *Fogassi*! verbis divi Hieronymi suadeo, hortor vos, et moneo: *salutate Paulam, et Eustochiam, velit, nolit mundus, salutate matrem Albinam, sororemque Marcellam, Marcellinam quoque et Felicianam* (et alias quasvis mulieres, cujuscunque sint nominis, quae in Canonicorum domibus degunt) *et scitote, ante tribunal Christi simul stabunt* (et illae, et hae) *ibi apparebit, qua mente quis vixerit.* a)

At

a) Epistol. L. I.

At at, parum abfuit, quin rei, quae in obscoeno tuo *Szabadhegyi* libro alpha et omega est, oblitus essem. *Quemadmodum* (inquis pag. 15.) *olim Civitatibus Sodoma et Gomorrha accidit, ita Civitatem Zagrabiensem Dominus DEUS puniturus est, nisi tempestive his malis DEO et hominibus detestandis remedia — — — allata fuerint*, id est, nisi a Canonicis omnes feminae abactae, extrusae, ejectaeque fuerint. Haec gravis, ac tremenda comminatio ad vos potissimum, o Cives Zagrabienses! pertinet, itaque suadeo, educite in plateas Syringias, praeparate cados, situlas, harpagones, ut, si de coelo ignis cadere supra vestra capita coeperit, vos, urbemque vestram salvare possitis. Alterum autem est, quod majorem in modum suadeo, ut omnes portas, quae e Regia Civitate vestra ad Capitularem ducunt, muro obturetis, ne occasio amplius sit uxoribus vestris, aut filiabus, aut ancillis, aut alteri cuicunque creaturae minus perfectae, id est femineae ad Capitulum intrandi, et sic iram DEI provocandi. Tandem et vos o Capitulares! moneo, ut sanctissimum nostrae aetatis Loth (*Szabadhegyium* intelligo) oretis, ut is innocuis suis precibus apud DEUM pro vobis, et vestris peccatis intercedat. Ille enim unicus cum socio suo *Fogassio* justus inventus est in oculis DEI. — Quodsi autem, his omni-

Digitized by Google

omnibus non obstantibus, ira DEI veniret super Sodomam, et Gomorrham, id est Civitatem Zagrabiensem, dico vobis viri secundum cor DEI *Szabadhegyi*, et *Fogassy!* fugite, fugite e Civitate non sancta, excutite pulveres e calceamentis vestris, sed una videte, ne respiciatis. Certissime enim convertemini non in statuas salis, (cujus nec mica in vestro cerebro est) sed in statuam ligni, id est — ingentes T — — —

Et hoc modo, DEO miserante, per hoc etiam coenosum, plenumque periculis fretum transivi salvus. Nihil aliud superest, quam ut vela expandam, atque id, quod reliquum est, *Szabadhegyani* maris, celeri cursu transfretare adnitar.

§. 13.

Author adhuc de Congrua sollicitus est.

Ut sapiens author Congruam tot Parochorum, qui in tota Dioecesi Zagrabiensi sunt, constabiliat, alios adhuc fundos exquirit, Regique et Publico proponit. Et recte id quidem. Soli enim proventus Capituli Zagrabiensis, si etiam 60000 florenos, ut author opinatur, annue efficerent, non sufficiunt, id quod facile demonstrari potest.

Cum enim in Dioecesi Zagrabiensi veterum et novarum Parochiarum prope 500 reperiantur, ad eas omnes dotandas 800 flo-

re-

Digitized by Google

renos ad singulos Parochos computando) requirerentur annua florenorum 400000, id est quadringenta millia. Interim, quia reditus annui, quos Parochi e bonis, e latifundiis, et Capitalibus jam nunc percipiunt, facile dimidium summae paulo ante expositae efficerent, consectaneum est, medietatem solum illius, adeoque 200000 florenorum ad integralem eorum dotationem adhuc requiri.

Porro juxta projectum authoris (pag. 31.) singulis 10 Parochis unus Archidiaconus, deinceps ruri habitaturus, cum salario 1000 florenorum praeficiendus esset. Cumque, ut dictum est, in Dioecesi Zagrabiensi universim 500 circiter sint Parochiae, sequitur 50 Archidiaconos necessarios esse, pro iis autem dotandis 50000 florenorum requiri. *a*) — Huc accedunt Praebendarii, juxta opinionem *Szabadhegyii* (pag. 27.) 800 florenorum Congruam habituri; itaque si moderni singulorum proventus in florenis 300 assumantur, ad complementum summae adhuc 6000 floreni desiderabuntur. — Denique cum (juxta pag. 45.) Capellanis, quorum ducentos tantum

a) Calculus quoad Archidiaconos nonnihil corrigendus esset. Jam enim ii ut Parochi, juxta *Szabadhegyianam* coordinationem 800 florenorum Congrua gaudent, igitur tantum 200 floreni vi officii superaddi, et ad rubricam exponi deberent. Vel hinc *Szabadhegyius* videre potest, quam scrupulose in hoc calculo tenerrimae, et nullatenus instar cribri perforatae conscientiae Cribrator versetur.

Digitized by Google

tum pro tota Dioecesi assumimus, deinceps singillatim in locum 30 florenorum 70 pendendi veniant, augmentum salarii in toto florenos 8000 constituere debebit. — Sed nec id silentio praetermittendum est, quod juxta benignam *Szabadhegyii* coordinationem, octo Canonicis deinceps in Capitulo mansuris singillatim floreni 1000, adeoque in toto floreni 8000 annue ex fundo Religionis exsolvendi erunt. Ducto igitur calculo quotannis debebunt persolvi

Canonicis	8000 fl.
Archidiaconis	50000
Praebendariis	6000
Parochis	200000
Capellanis	8000
Summa dotationis totalis	272000 —
Hinc vero Capituli proventus subtrahendo in florenis . .	60000
Desiderantur pro complemento dotationis	212000

id est ducenta duodecim millia. Ubi ergo est fundus et pro hocce residuo? — ne dubitate, et huic difficultati occurrit sapientissimus Regiae Majestatis Consiliarius *Szabadhegyius*. Audiamus hominem.

„ Si bona reductorum Capitulorum (in-
„ quit pag. 28.) non sufficerent ad praemis-
„ sam Congruam Parochis resolvendam, po-
„ te-

Digitized by Google

„ terit antiqua Ecclesiasticorum *Decima* a „ Dominis Terrestralibus exigi et adurgeri, „ quae certe, si non superfluum, sufficien- „ tissimum attamen fundum subministrabit.„

Item pag. 50. „ In recompensationem „ stolae, quidquid aliquis cogitet, nihil po- „ pulo facilius, et nihil convenientius exco- „ gitari valet, quam ut a paritate Urbarii „ Dominalis anno 1780 introducti singulae „ domus Parochianorum Parocho suo pro „ laboribus spiritualibus annue fl. 1. depen- „ dant, cujus sentimenti sunt, omnes Paro- „ chiani, quantum nobis conferre cum illis „ licuit, demtis matrimonialibus. „

§. 14.

Cribratori Authoris projectum non placet.

Subsistamus jam paululum, ac projectum Authoris *Szabadhegyii* indifferenti animo examinemus. Tu igitur, Author clarissime! decimam ab Episcopo, et Secularibus adimendam, Parochorumque dotationi addicendum existimas? magnum Aedepol, lapidem moves.

Jam primum Decimae tam Croaticae, quam et Sclavonicae ad justos et legitimos Episcoporum Zagrabiensium proventus, Constitutionibus Regni, Regum Decretis, usu denique immemoriali firmatos, referuntur. At tu, uti in famoso tuo libello declaras, tanta

Digitized by Google

erga Episcopum veneratione duceris, ut supponi non possit, te eum, ejusque successores tam manifeste delumbare velle. Absit! in Nobiles solum Decimarum possessores tela fulminare, tuum est propositum. At, bone vir! non potes Nobiles ferire, quin et Episcopum tangas. Si enim Nobilibus eripiuntur Decimae, eripientur et Episcopo, qui ex eorum manibus censum decimalem percipit. Sed hoc minimum est.

Scisne, non una, sed quamplurimis Regni Hungariae legibus constitutum esse, contractus, cum Magnatibus, et Nobilibus ratione Decimarum perpetuo initos, nullo unquam tempore, neque ullo sub praetextu revocari, immutarique, sed nec pretium Decimarum per Contractum limitatum augeri posse. *a)* — Fac igitur, si placet, *Szabadhegyi*, experimentum, aggredere litibus (fustibus enim non licet) Decimarum possessores Nobiles, et videbis generalem in Regno insurrectionem, qualis nec contra Turcas, nec Tartaros fuit.

Tentarunt id quidem paucos ante annos duo e Croatia Parochi, suumque ea in re *Planum* eleganti charta compactum, et rubris ligatum ligulis Josepho II. Viennae in ambitu, *Contrálor* dicto, exhibuerunt. Placuit id Principi de dotandis toto in Regno Parochis die

a) Art. 18. 1609. 95. 1647.

Digitized by Google

die nocteque cogitanti. Sed enim tantas ea res invenit difficultates, ut ab incepto desistere, ac integri biennii partum a Parochis illis editum in profundo Archivi Budensis tumulo sepeliri oportuerit.

Quodsi tamen tu, legum imperite *Szabadhegyi!* mecum in gratiam redire posses, ostenderem ego tibi modum, quo projectum hoc tuum aliqua saltem in parte effectum reddi posset. Ac in primis quidem producerem ego tibi Privilegium Stephano, Episcopo Zagrabiensi, super Decimis anno 1227 datum, ex quo apparet, Decimam ex *Fabis* etiam olim desumi consuevisse, *a*) quae pia consuetudo cum negligentia Episcoporum exoleverit, quid vetat, quo minus tu eam pro bono fundi Religionarii in usum revoces? — Porro exhiberem tibi Decretum Colomani, quo statuitur, *ut Presbyteri et Abbates, seu cujuslibet personae dignitatis Ecclesiae Decimationem persolvant, in cujus territorio agriculturam exercent, vel vindemiam.* b) Ita ergo unus Parochus alium deplumare posset. — Quod plus, digito tibi in corpore juris legem monstrarem, qua disponitur, *ut Confiniarii fundos rusticos colentes* (et quid sunt omnes fundi confiniarii aliud, quam rusticani?) integram Decimam solvere teneantur. *c*) Considera quae-

a) Pray Hierach. P. II.
b) Colom. Decr. I. Cap. 66.
c) Artic. 4. 1613.

Digitized by Google

so *Szabadhegyi!* quam vasta sint Confinia, Carlostadiense, Banale, Varasdinense, Sclavonica? quanta ibi messis erit? quantus nervus pro fundo Religionis? — Vis amplius? dicam, sed sub secreto. Ecce in generali Statuum Congregatione, per Nicolaum totius Sclavoniae et Croatiae Banum anno 1353 in Tinninio celebrata, publico Regni Statuto sancitum fuit: *quod nobiles, et possessionati homines* 5. *Jobbagyones non habentes cum Decimis consuetis teneantur.* a) Numera *Szabadhegyi* stellas, si potes; tantam talium Nobilium copiam in sola Croatia reperies.

Sed jam satis de Decimis. Fateor, secundum illud tuum projectum, ut quivis Parochianus Parocho suo annue florenum unum dependat, mihi facillimum videtur, — tantum rustici velint. Sed enim, quidquid tu contradicas, ea est protervia plebis rusticanae, ut nisi avellanaceo argumento adactam, certe nec 10 cruciferos libenter Parocho suo soluturam, plus quam certum sit. Ego quidem firmissime, et tanquam textum S. Scripturae teneo id, quod Cl. Gellert olim dixit:

Mann kann Amphion seyn, und Stein und Wald bevegen;
Desvegen kann mann drum nicht Bauern viederlegen. b)

Sed

a) In Vestigiis Comitiorum industria Georgii Kovachich editorum.
b) *Dura licet moveas Amphion saxa nemusque,*
Ruricolam nulla poteris tamen arte movere. Cribrat.

Digitized by Google

Sed posito etiam, Decimam Croatiae totam, quantacunque vel in natura desumitur, vel ex Contractu solvitur, in dotationem Parochorum converti; posito, a singulis Parochianis florenum unum annue pendi, tantum tamen, crede mihi *Szabadhegyi*, enormis illa summa, quae ad Parochos juxta tuum projectum dotandos requireretur, facit in rerum natura vacuum, ut omnibus adminiculis, abs te propositis, neutiquam expleri possit.

§. 15.

Cribratoris ultimum suspirium.

O tristem Parochorum sortem! o spes inanes! — omnes *Szabadhegyii* conatus terrae allisi jacent. — Congrua, tituli, vestium distinctiones, thesauri, quos ille vobis, o digni meliori fato Parochi! plena offerebat manu, diffluxerunt, ut nix, et ut bulla infantis, in aere displosi sunt. — Quid gemitis? non fatum vos, non fortuna, non invidia peremit, sed ignorantia Patronorum vestrorum, Hieronymi *Szabadhegyi*, et Ladislai *Fogassi*, et pejor matre filia, praefidentia. — Attamen vivit adhuc Franciscus, qui vestram viri Apostolici sublevabit sortem; vivunt, ne dubitate, amici, quibus et ingenium natura dedit, ut vos adjuvare sciant, et animum, ut velint; atque ideo

Digitized by Google

Durate, et vosmet rebus servate secundis,
O passi graviora, dabit DEUS his quoque finem.

At tu Author, si Diis placet, clarissime! vale, et in abdito reconditus nemore, ale comam, qua te, ne noscaris, tegas. Ah! parum id est; disce hominem aestimare, et fratrem colere. Secus enim illud tuum axioma, quod in innocuum (pag. 15.) conjecisti Capitulum Zagrabiense, cum perpetuae ignominiae nota tuae inuretur fronti:

Non est malum, non est vitium, non est abominatio, non est scandalum, non est contemtus, non est iniquitas, non est mendacium, cujus reum se una cum socio suo non fecisset Cavillator.

Digitized by Google

LIBER II.

Szabadhegyius et Fogassius comparent ut Legislatores.

Anno ab orbe condito 5792., reparatae vero salutis humanae 1792. regnante piissimo Rege Francisco II., Ecclesiam vero DEI moderante sanctissimo Papa Pio VI., duo Apostolici viri, Hieronymus *Szabadhegyi*, et Ladislaus *Fogassi a)* arduum regulandae, reformandaeque Dioecesis Zagrabiensis, (in qua hactenus *nullus ordo*, sed *sempiternus horror* inhabitavit) negotium suscipientes, sacris Canonibus, Conciliis, et Dioecesanis Synodis (quarum acta, et constitutiones hic pro confirmatis habentur) sequentia supplementa, velut totidem vitae Clericalis repagula addi-

a) Ne forte Hungari hos duos Apostolos ex cognomine suae esse nationis putent, adeoque gloriam Croatis praeripiant, hic candide, et pro veritatis amore declaro, eos esse, veros, germanos, et naturales Croatas, verum tantum ut vanae gloriae fucum evitent, Hungarica sibi nomina adscivisse. Quodsi autem cuipiam videretur, nec uni, nec alteri nationi laudem praeripiendam esse, poterunt illi, per me licet, vel *croatizati Hungarelli*, vel *hungarizati Croatelli* compellari.

Digitized by Google

addiderunt, ne quis videlicet e Clero Zagrabiensi deinceps in dextram, vel sinistram declinaret, verum omnes, et singuli in via veritatis, et virtutis ambularent; quae supplementa, et repagula ego Secretarius sacri hujus Duumviratus *Cribrator* in ordinem redegi, atque in Capitula, et Canones ad futuram rei memoriam, salutem animarum, aedificationem Christianorum, incrementum Religionis, denique pro spirituali Episcoporum, Clerique universi, praesertim autem Capitulorum quorumcunque, solatio digessi.

CAPITULUM I.

De Episcopis.

Canon I. Visum est praesente Sanctione moderno Episcopo Zagrabiensi (quem Altissimus benedicere, et fortificare dignetur,) ejusque in officio successoribus serio praecipere. *Ne* (pag. 11.) *Clericum posthac pro quacunque levitate statim in praesentiam suam citare audeant; verum Archipresbyteris, seu Archidiaconis, et Vicariis forensibus provinciam querelas contra Parochos, et Capellanos ab eorundem famulis, colonis, aedituis, campanatoribns, parochianis, et opificibus nefors proponendas audiendi, iisque jus, et justitiam administrandi, partem vero non contentam*

per

Digitized by Google

per viam quasi appellationis ad Sedem spiritualem relegandi, relinquant.

Canon II. (Pag. 11.) „ *Quodsi quando* „ *quis Secularis Clericum non ex publica fama,* „ *vel actione Fisco Dioecesano competente, sed* „ *ex privato odio via solutae instantiae in jus* „ *evocari peteret, ad reprimendos ejusmodi in-* „ *frunitos actus necessarium videtur, ut actor* „ *praevie taxam calumniae,* (id ipsum etiam Art. 27. Anni 1567. juxta explicationem *Fogassii* praecipiente) „ *non obstante neglecta in* „ *Dioecesi Zagrabiensi praxi ad manus judici-* „ *arias pro parte fors innocentis Clerici depo-* „ *nere teneatur. Hoc enim est coram DEO, et* „ *hominibus justum, ne Clericus sub fulmine* „ *suspensionis ex caussa non dum satis discussa,* „ *citetur.* „

COROLLARIUM I. Citatus art. 27. 1567. non de taxa calumniae, verum de juramento a Procuratoribus deponendo (quod alioquin fit) sonat.

COROLLARIUM II. Ex hoc Canone omnes seculares Judices discant, ne ullum, *nisi discussa prius caussa*, deinceps in judicium citari permittant. Prius *sententia* ferenda est, dein sequitur *citatio*, aut evocatio.

Canon III. Episcopus amodo in posterum talem in Processionibus ordinem constituat, ne fidelibus ansa praebeatur, ad schisma amplius delabendi, aut (pag. 17.) *ipsum*

Epi-

Digitized by Google

Episcopum schismaticum exemplo senis cujusdam Canonici compellandi.

Canon IV. (pag. 21.) Episcopos in conscientia obstringimus, ut sine partium studio *non alios, quam pacis amantes Canonicos, boni publici zelantes, pro regimine Dioecesis retineant*, ne Dioecesis Zagrabiensis denuo, uti sub prioribus Canonicis, tanquam vetus fermentum acescat.

Canon V. In quantum Canonici octo, deinceps penes Cathedralem Ecclesiam remansuri, ad ardua Dioecesis negotia vicaria potestate moderanda non sufficerent, Episcopus (pag. 22. 23. 24.) *in adjutorium Praebendarios vocet, iisque domus amotorum Canonicorum, praevie reparandas, et in optimum statum ponendas, mox, et de facto assignet.---- Eorum in reliquo institutio et electio perpetua lege penes Episcopum manebit*, cui praesentium vigore plena, et absoluta potestas datur, *ex modernis Praebendariis, quos censuerit utiles sibi retinendi, inutiles vero ad curam animarum exmittendi, aliosque ipsorum loco creandi, atque substituendi.* Quae subsistutio nostra vel inde Ecclesiae salutaris futura praevidetur, quia hoc modo intra Canonicos, et Praebendarios *Controleria* quaedam constituetur, fietque, ne deinceps Canonici, prout antea factum est, ita facile exorbitent.

Co-

Digitized by Google

COROLLARIUM. Cum juxta dicta (L. I. §. 10.) Capitulum Zagrabiense Praebendarios 12 cum consensu Regis, et Pontificis suis pecuniis fundaverit, eum in finem, ut Canonicos absentes, aut aliis negotiis avocatos, in choro, et votivis sacris legendis suppleant, quomodo jus Patronatus Capitulo adimi, quomodo Praebendarii ad classem Canonicorum, quorum fundatione sunt, quod sunt, poni valent? — Sed enim omnipotentibus Legislatoribus nostris id facere licuit, DEUM ea in re imitari volentibus, qui gratiam suam non ex *debere*, sed secundum *velle* suum ei dat, cui vult.

Canon VI. (pag. 33.) *Cum facultates Apostolicae pro diversitate temporum jam restringi, jam ampliari, praesertim ad ultramontanos Episcopos soleant, ad regiminis harmoniam pertinet, ut Episcopus eas fine eo cum Parochis communicet, ut - - - absque ulteriori facultatum indagamine sciant, in quibus nefors occurrendis a) casibus recurrere debeant ad Ordinarium? in quibus ad Archidiaconum? in quibus ad augustum Thronum Regium? in quibus ad fora Romana? seu sacram Poenitentiariam?*

COROLLARIUM. Parochis ad fora Romana immediate recurrere non licet, sed medio Episcopi, aut cum ejus consensu. Hoc ordo, hoc leges, hoc Regum constitutiones exigunt.

Canon VII. (pag. 37.) Episcopus omni quarto, aut sexto anno visitam Dioecesis in per-

a) melius, *occursuris*.

Digitized by Google

persona, et quidem inomisse peragat, eaque occasione Parochos audiat. „ *Saepenumero enim* (ait Eccl. C. 37. v. 18.) *anima viri, quamvis simplicis, enunciat magis vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad spectaculum.* „

COROLLARIUM. Sacrum Concilium Tridentinum Sess. XXIV. C. IV. decrevit, ut *Episcopi Dioeceses singulis annis, aut si amplitudo earum id non admitteret, singulis saltem bieniis visitent.* — Novi ergo Nostri Apostoli Episcopos a molesta Concilii Tridentini Constitutione pro plenitudine suae potestatis dispensant. In reliquo non possum non ego Cribrator hoc loco piissimis, et in sacra scriptura versatissimis Legislatoribus nostris *complimentum* (honorem) facere, qui textum Ecclesiastici tam apte applicare sciverunt.

Canon VIII. (pag. 38. 39.) *Ad omnes malorum occasiones et funesta Ecclesiarum damna, quae ex neglecta, vel male tractata rationum revisione promanant, praecavenda non sufficiunt generales qualescunque Episcoporum dispositiones, sed erga reflexiones Parochorum pro qualibet parte aliae; nam quaelibet fere Parochia aliter, atque aliter juvatur, vel depauperatur - - - totius mali origo inde est, quia nulla hactenus civilis subordinatio pro aedituis, et campanatoribus procurata est.*

COROLLARIUM I. Hoc punctum singularem exposcit attentionem; nunquam enim sperari poterit vera reformatio Dioecesis, nisi praevie cit-

Digitized by Google

circa aedituos, et campanatores sapientes leges in *Comitiis* Regni Hungariae latae fuerint.

COROLLARIUM II. Advertite ad hunc Canonem vos, qui Pestini pro legibus condendis considetis Illustres Regni Deputati! Non sufficit enim *Generales* pro toto Regno ferre Leges, verum oportet, pro quovis Comitatu, Civitate, Oppido, et Pago specialem codicem conscribere. Omnis enim locus aliter juvatur, vel depauperatur.

Canon IX. (Pag. 46.) Pastorali Episcoporum curae incumbet, ut *benigna Intimata Regia, Episcopalia, et alia improtocollanda deinceps in paribus cum uniformi informatione Parochis exmittantur. Difformitas enim in conscriptionibus, prout et aliis, ex difformitate Circularium et praejudiciorum promanat.*

COROLLARIUM. Hic merito de legislatoribus nostris dici potest: *interdum et doctus dormitat Homerus.* Legantur omnia Parochorum Protocolla; ubi *benigna Intimata Regia, aut Episcopalia* difformiter scripta, et cum Parochis communicata reperientur? non hoc esset Regias Dispositiones adulterare?

Canon X. (Pag. 56.) Cum non sine publico scandalo in Ecclesia Zagrabiensi praeticatum fuerit, *ut ad Canonicatus hactenus non benemeriti, verum illi, et tales, qui aut adulatores erant, aut pecuniis, aliisque donariis familiares Episcoporum subornare, aut Viennae amicos quaerere, et bene solvere poterant, promoti fuerint,* Episcopos in conscientia obli-

ga-

Digitized by Google

gamus, ut abusibus his instantaneam medelam ponant, familiares suos ab acceptandis donariis, alioquin simoniam redolentibus, serio arceant, una autem per publicas ephemerides promulgari curent, ne quis Viennae, sit ille in Aula, vel extra eam, in Cancellaria, vel extra illam (ne Agentibus quidem exceptis) a quocunque Dioecesis Zagrabiensis Parocho Canonicatum petituro pecuniam acceptare praesumat. Vos autem Parochi, quibus in futurum in mentem veniet, ad pinguia Canonicorum beneficia aspirare, hortamur, et monemus, ut in petitionibus vestris *simplices* sitis, ut canes gregibus ovium custodiendis praepositi, vulgo molossi, qui non solent adultari.

CAPITULUM II.

De Archidiaconis.

Canon XI. (Pag. 7.) *cum Reverendissimi Domini Archidiaconi Canonici Zagrabienses vel ratione distantiae, vel ratione laborum, utpote divinorum sacrorum Canonum perpetuo ad chorum obligati, vel quod frequentius accidit, ratione scientiae necessariae, senii, infirmitatis, commoditatis, cui assueti, pertaesi et laborum impatientes, vel maxime student, subjectis sibi Parochis tam accurate invigilare nequeant, ut*

omnia

Digitized by Google

omnia cognoscant, omnia per se videant, aut aliquid sciant, antequam ipsis in vecte, aut biperis a) Zagrabiam deportetur, seu quosvis errores statim in radice proscindere possint, visum nobis est in Domino, absque ulla misericordia, *omnes* Archidiaconos Zagrabia in perpetuum avocare, eosque ruri ita distribuere, ut *singulis decem Parochis unus praeficiatur Archipresbyter, sive Vicarius forensis, vulgo dictus Archidiaconus.*

COROLLARIUM. Ita ergo in sola Dioecesi Zagrabiensi 50 habebimus Archidiaconos, cum 500 circiter Parochiae in ea numerentur.

Canon XII. (pag. 12.) *Oportebit autem Archidiaconos hos foris in Parochiis constanter residere, ac reales esse Parochos, sufficienti scientia, et idoneitate praeditos, plusque laboriosos, practicos, et meritos, quam Canonici fuerint, qui haec officia hactenus gesserunt.*

COROLLARIUM I. Hac ratione ergo Vicearchidiaconi, seu Decani, qui hactenus e Parochis deligi solebant, tanquam minus necessarii cessabunt. Superfluum enim foret, uni decuriae duos officiales praeficere; deinde Parochi nec vellent, praesente semper Archidiacono, ejus Vicarios agere. Solis enim radiis luna, omnesque alii planetae obscurantur. Quid? quod pro-

a) *Vectis* alias est instrumentum mechanicum, quo machinae attolluntur, at hic pro *vectura* accipitur — vocabulum bipera in toto Calepino non reperitur, hic tamen pro *mantica*, aut *sacculo* sumitur. —

Digitized by Google

propter distinctionem miseri Vicearchidiaconi forte unica illa, quam pro infinitis laboribus habent mercede, id est *jure violacei coloris tibialia, et cingulos* gestandi privari deberent, et tunc quis, quaeso, Vicearchidiaconus esse vellet?

COROLLARIUM II. Quaeritur, an e re Religionis Catholicae sit, vetustum in Ecclesia ordinem turbare? an non necessarium sit, ut Episcopus semper ad latus habeat Consiliarios Archidiaconos, quorum quisque Archidiaconatum suum et noscat et informationem de eo, cum opus, praestare possit, ac sciat? Quis Archidiaconorum apud Parochos plus authoritatis habebit, an is, quem quotidie vident, aut is, qui *ordinarie* tantum tempore visitationis in Districtu suo conspicitur? quoties Episcopus relationem *per litteras* petere debebit, quam a praesente Archidiacono uno *verbo* capere posset? — deinde suntne entia sine necessitate multiplicanda? — Denique et Concilii Tridentini nos oblivisci non oportet, quod Archidiaconos *oculos* esse *Episcoporum* pronunciat. Si oculi sunt, possuntne a capite divelli? quid inde sequetur, quam ut Episcopi oculis destituti non videant, id est, coeci fiant. En quales sequelae ex unico falso principio promanant! relinquamus potius oculos ibi, ubi sunt; aut si forte aliqua in parte vel caligant, vel alienis humoribus infecti sunt, satius est, eos perpurgari, quam evelli.

Canon XIII. (pag. 31.) Justum agnoscimus, ut *Archidiaconis foris in Parochiis residentibus ex fundo religionario* (ad quem eos relegamus) *floreni* 200 *supra Congruam floreno-*

norum 800 *quotannis exsolvantur, ut sic meritorum, promotionis, ac accommodationis reflexio habeatur, aemulationi locus detur, atque uberiori in scientiis perfectioni occasio praebeatur.*

COROLLARIUM. Justum id sane est, ut, qui plus laborat, plus praemii et mercedis reportet. Et tamen miseris Vicearchidiaconis, quibus hactenus omne onus incumbebat, ne *postales* quidem, atque *itinerales* expensae solutae; nullum denique beneficium, praeterquam jus violacei coloris tibialia et cingulos, uti dictum est, gestandi concessum fuit! An non est dignus mercenarius mercede sua? potestne id ab iis juste peti, ut suis equis in negotiis Districtus sui peregrinentur? Parochos ad se negotiorum caussa toties ventitantes mensa, et hospitio excipiant? propriam oeconomiam negligant?

Canon XIV. (pag. 9. 16.) *Cum experientia teste edocti simus, multis poenitentibus Zagrabiam pro adimplenda poenitentia missionem aeque gravem accidere, ac si ad patibulum traherentur,* praecipimus Episcopis, ut ad praecavenda dehinc omnia mala *Archidiaconis* (jam rusticis) *necessarias facultates generaliter concedant, quibus armati fideles in denunciationibus matrimonii, nec non impedimentis ex copula illicita dispensare, puerperas incaute penes se proles in lecto collocantes, et opprimentes absolvere, nova indumenta, et alia ad missam necessaria benedicere, minoris denique mo-*

Digitized by Google

menti lites et caussas, (uti jam Canone I. monuimus) *dirimere* possint, ac valeant.

COROLLARIUM I. Si duo Apostoli proximi cujuscunque Vicearchidiaconi Protocollum inspexissent, facile deprehendissent, Maximilianum Verhovacz, DEI gratia Episcopum Zagrabiensem, cunctos suae Dioecesis Vicearchidiaconos mox post feliciter auspicatum Episcopatum aliquibus ex his facultatibus providisse, alias autem, in quibus jus subdelegandi nec Episcopo competit, sibi reservasse.

COROLLARIUM II. Cum mansuetudo praecipua Ecclesiasticorum virtus esse debeat, aequum est, ut *patibulum* Ecclesiae Zagrabiensis, id est *poenitentiaria*, aboleatur. In casibus ergo reservatis Archidiaconis danda fuit absolvendi potestas: quo pacto in sola Dioecesi Zagrabiensi in locum unius erecta sunt patibula 50, sed tamen uno illo longe tolerabiliora, et poenitentibus indubie magis accepta.

Canon XV. (pag. 9.) Ad officium quoque Archidiaconorum pertinebit, *singulis mediis annis, vel si negotium publicum exigeret, saepius suum districtum visitare, acta praecedentis visitae---- examinare, de Parochorum, Capellanorum, Aedituorum, Campanatorum vita, idoneitate, scientia, moribusque, laboribus, merito, vel demerito ex rumore populi, ex vicina fama, ex ibidem existentia a) sese informare —— ut ita fidedigniorem sive Episcopo, sive in occursuris casibus Regi relationem dare possint.*

Co-

a) Forte: *existentibus.*

Digitized by Google

COROLLARIUM I. Cum bona venia Domini Apostoli! dictum esto, in Regno Croatiae Campanatores scientiae laude non pollent, sola *idoneitate* campanas egregie trahendi praediti. Sed nec Aeditui in Academia Zagrabiensi aut Conimbricensi, verum plerique in equili, aut bovili prima scientiae rudimenta hausere.

COROLLARIUM II. Rex non cum Archidiaconis, verum cum Episcopis solum correspondet.

Canon XVI. Ut autem visitatio Archidiaconi etiam ad salutem secularium Parochianorum dirigatur, non est satis, (pag. 35.) in genere investigare, *an non aliquis in oppido, vel pago publicus, et scandalosus peccator detur*, verum omni cum severitate, et secundum omnes circumstantias inquirendum est:

An non sint aliqui, qui Dominicis, et Festis de praecepto vehant, vendant, laborent, servilia opera exerceant? denturne, et qui in specie, *fornicatores, adulteri, et concubinarii?*

Qui sunt, qui quotidie imprecantur, vel blasphemant? qui falsa testimonia, et perjuria in judiciis impune dicant? qui ad Pascha non confitentur?

Quot sunt, qui ob defectum doctrinae Christianae in quadragesima reprobati paucis post diebus pro vexa evocant Parochum pro audienda confessione?

Quae sunt coemeteria, aut neglecta, vel dissoluta jumentis?

Digitized by Google

Quae omnia in libris Archidiaconalibus rite consignanda, ac subinde ad Episcopum referenda sunt.

COROLLARIUM. Non semper impune peccabitis vos Seculares, verius filii tenebrarum, venit dies, ubi frumentum ab Archidiaconis ventilabitur, et zizania a tritico separabuntur. Magis Archidiaconi scient pulsum tangere, quam nimis molles vestri Confessarii. *a*)

Canon XVII. Mandamus vigore praesentis Decreti omnibus et singulis Archidiaconis, ut volumina (pag. 35.) visitationum ita formata sint, ne, prout sub antecessoribus vestris factum est, *ea tineis in Capitulari bibliotheca alendis deserviant*, verum ita conscribantur, ne Referens Capitularis ea legendo indormiat.

CAPITULUM III.

De Canonicis.

Canon XVIII. Cum propter gravissimas caussas, quarum aliquae jam in publicum prolatae sunt, alias autem in pectore reservamus, Capitulum Zagrabiense e 28 Canonicis hactenus subsistens, relictis duntaxat octo, *ad omnes orbis partes disperserimus*, atque ita tremendum exemplum omnibus per or-

a) Revocate paulisper in memoriam, quod superius de patibulis Archidiaconorum dictum est.

Digitized by Google

orbem Christianis dederimus, vestrum jam erit, fratres carissimi, quibus pingues adhuc Canonicatus Praebendae de gratia nostra relictae sunt, omnes vestras actiones ita dirigere, ut a via recta nunquam amplius, prout fratres olim vestri, declinetis. Id autem, ut cum gratia Dei consequamini, necessarium est, ut in omnibus, et per omnia contraria via, ac ipsi confratres olim vestri una vobiscum solebant, incedere studeatis.

Canon XIX. Atque ideo, ut a caritate, quae est fundamentum omnium virtutum, incipiamus, cum in Capitulo hoc vestro *turpes olim lites*, *dissensiones*, *fatalitates*, *et discordiarum flammae*, uno potissimum de primoribus viris sufflaminante, tanta undique incendia sparserint, ut jam de ipsa Civitate, ne communi involveretur flamma, pene conclamatum fuerit; volumus, et praecipimus, ut amodo in posterum vos, reliquiae urbis Sion, pacem inter vos, et cum aliis colatis; quod fiet, si doctrinam Christi sequuti unam maxillam percutienti subdideritis et aliam; togam rapienti et chlamydem cesseritis; in dicendis autem sententiis, quidquid alter dixerit, album, vel nigrum, nemo ei contradixerit. Praestat enim contradictiones in verbis et sententiis sequi, quam pacem laedere, et sic — animam perdere.

Digitized by Google

Canon XX. Et cum, uti publice objectum fuisse audivimus, antecessores vestri *otiosam* antea, et *inactivam* vitam duxerint, *chorum raro frequentaverint, nec psalmodiam perficere studuerint;* vestri erit muneris deinceps, ne vos diabolus circumiens et quaerens quem devoret, unquam absque labore inveniat, omne illud tempus, quod a Choro, a Divinis, a Consistoriis, et aliis quibuscunque laboribus vacuum manebit, labore manuum, aut fiscellas plectendo, uti veteres Anachoretae, aut hortum spatis colendo, uti multi olim Monachi, aut aliam artem honestam exercendo transigere, uno verbo, ut verbis Concilii Carthaginensis IV. (Can. L. II.) utamur, *honesto aliquo artificiolo* otium, pulvinar diaboli, a vobis repellere. Quod ut in Secularium oculos tanto magis incidat, volumus, et mandamus, ut unusquisque vestrum in domo sua, in uno e cubiculis suis officinam erigat, in qua subcisivis per diem horis artem suam exerceat, insuper autem quisque in frontispicio domus symbolum artis, quam profitetur, appendi curet.

Canon XXI. Illud quoque (pag. 14.) *quod stupendum DEO, et tremendum Angelis*, praedecessoribus vestris objectum fuisse meminimus, quod complures *per totum anni decursum vix semel peccata sua*, quorum tamen sarcinam sat grandem quisque in dorso ferebat,

con-

Digitized by Google

confessione expiaverint. Quod licet quidem fidem non mereatur, ne tamen ulli amplius suspicandi occasio relinquatur, mandamus vobis in virtute S. obedientiae, ut quovis Dominico, mane hora septima, omnes simul in corpore, una cum Praebendariis ad Ecclesiam Cathedralem in forma processionis progrediamini, ibique in ordine stando ante confessionale, palam, et publice alter alteri succedendo (sicut devotus femineus sexus facere solet) confessiones peragatis, praeeuntibus semper Praeposito et Columnis.

Canon XXII. Ne vero et illa deinceps in sacrum vestrum Corpus macula cadat, quod (pag. 14.) *vestris tantum commodis studentes, luxui, et commessationibus, quarum DEUS venter est, indulgentes, nunquam pauperibus eleemosinam largiamini,* necessarium esse judicamus, ut omnibus modis, et viis praecavere studeatis, ne hac quoque in parte parvuli, et simplices scandalizentur. Quapropter harum serie firmiter praecipimus, et mandamus, ut post publicationem hujus nostrae Constitutionis, quilibet vestrum unum tubicinem assumat, qui, quoties vestrum aliquis esurienti cibum, sitienti potum, amictum nudo, aut aes egeno dederit, ante fores vestrae habitationis ea, qua maxima poterit, vi tubam inflet. Si autem totum in concreto Capitulum aliquem caritatis actum

Digitized by Google

exercuerit, eo casu omnes tubicines conveniant in unum, iisque duo etiam tympanotribae addantur, ut toti Civitati constet, quid vestro fiat in Capitulo. — Quantum autem ad commessationes, quae toties vobis, praesertim a duobus famelicis parasitis oggeruntur, attinet, rem maturo ingenio perpendentes, vobis ultronee mandamus, ut veteres Spartanos imitando, non intra 4 parietes, verum publica in platea mensas vestras sterni jubeatis, ibique in conspectu praetereuntium una cum convivis vestris in Domino convivamini. Hoc etenim jucundum angelis, et hominibus erit spectaculum, tot mensas, quot sunt Canonici, aperto in aere stratas videre, una vero Capitularis urbis Sion graveolentia, ex plateis nunquam purgatis continuo ascendens, diversorum ciborum fragrantia temperabitur, et sic civium etiam sanitati prospicietur.

Canon XXIII. Quoniam autem id, quod non sine intimo animi dolore commemoramus, in priori jam nunc a nobis damnato Capitulo ea invaluit consuetudo, ut *in singulis Canonicorum domibus feminei sexus personae*, aviae, matres, sorores, affines, cognatae, et pro servitiis cocae, villicae, ancillae *habitaverint*, inde autem tantum ortum est scandalum, ut duo quidam in famoso quodam, rogoque digno libello singulos Canonicos, *initialibus praepositis litteris*, quis

quam

Digitized by Google

quam in domo habeat mulierem, digito quasi monstraverint; Nos omne scandalum a stupidis, et simpliculis Christianis amovere cupientes, mandamus vobis serio, ac districtim, ut quoties aliquis vestrum feminam aliquam ad domum suam recipere voluerit, is ejus nomen, cognomen, parentes, annos, conditionem, staturam, capillos, totamque formam extrinsecam, et intrinsecam sincere describat, descriptionemque hanc Capitulari firmatam sigillo in publico aliquo, et authentico Capituli loco deponat, atque improtocollari curet, ut unicuique, qui adversus vos venenatam voluerit exerere linguam, modus, et occasio detur, genuinam de *Subjecto* et *Praedicato* capiendi notitiam, et sic cessent tandem suspiciones, cavillationes, opprobria, et stultae scriptitationes, quae jam honestis, et de omni homine bene cogitare assuetis Christianis aeque, ac paganis nauseam in stomacho movebant. Quodsi autem extranea aliqua mulier ad vestrum aliquem visitandi, aut negotiorum causa accedere cuperet, eum in casum sacrosancti Concilii Antisiodorensis anni 578 Canonem tertium renovantes mandamus, ut *toties quoties talem mulierem duo e Praebendariis, aut bonae notae Presbyteris in cubile vestrum inducant, atque inde ad plateam reducant.* — Si autem non obstantibus his adeo firmis repagulis, quibus domus

ve-

Digitized by Google

vestras *ab intus et a foris* cum gratia DEI obsepivimus, unum alterumve ex lemuribus, id est immundis spiritibus, in easdem penetrare contingeret, eum in casum scitote Fratres carissimi, nos, etsi invitos, sapientissimam Lacedaemoniensium, utut Ethnicorum, legem, pro excitando juventutis ingenio excogitatam sequuturos, pristinoque suo post tot secula vigori restituturos. *a*)

Canon XXIV. Fuit equidem vetusta adversus Canonicos querimonia, (pag. 22.) eorum *supina negligentia, et sordida avaritia domorum Canonicalium reparationem neglectam fuisse*, qua in re praecipue in infami quodam, et furcae appendendo scripto quidam *Millassinchichius* taxabatur; cum interim una quidem ex parte rei Canonici jam aliis sub climatibus degant, ex alia vero parte eorum in domibus successores Praebendarios id sibi magis curae habituros, spes sit, idcirco a suspensionis sententia in morosos aedificiorum Ecclesiasticorum reparatores jam olim lata, et nuns renovanda tantisper supersedemus. Suademus tamen vobis, Fratres carissimi! et in spiritu lenitatis hortamur, cavete, ne justam nostram iram, ac vindicem manum ea in parte provocetis.

Ca-

a) Quaenam ista lex? forte illa, qua furta puerorum tum solum publica poena vindicari solebant, cum *minus caute* commissa esse detectum fuit?

Digitized by Google

Canon XXV. Cum (pag. 56.) *in generali Comitatus Zagrabiensis Congregatione* de eo actum fuisse fidedigne intellexerimus, *ut ad Canonicatus deinceps non alii, quam nobili de stirpe prognati promoveantur*, nos divorum Apostolorum, inter quos unicus nobilis teloniator Mathaeus, omnes alii piscatores fuere, vestigiis firmiter inhaerentes, et vetustam Ecclesiae consuetudinem sequentes, eam sententiam, tanquam haereticam, periculosam, et manifestam Ecclesiae perturbationem involventem harum vigore damnamus, omnesque eidem pervicaciter cum scandalo publico inhaerentes a communione fidelium excludimus, et pro exclusis declaramus.

Canon XXVI. Ita etiam fuerunt nonnulli inter Christianos insanis hodiernae Philosophiae principiis usque adeo infecti, ut palam publiceque asseverare, imo exemplo duorum *Reflexionariorum* dictorum scribere ausi sint, prioris fermenti Canonicos *propter neglectam chori frequentationem*, aliaque non minus gravia facinora (pag. 48.) *salutem animae nunquam sperare posse, nisi omnes perceptos fructus inde a susceptione Canonicatuum suorum restituerint, et in pauperes distribuerint.* Cum autem haec summe periculosa, ideoque scandalosa, pessimarumque sequelarum doctrina sit, nullumque ex universa historia Ecclesiastica exemplum erui, aut adduci possit, ut

ali-

Digitized by Google

aliquis Patriarcha, Archiepiscopus, Praepositus, Abbas, Canonicus, aut alter qualiscunque beneficiatus — eousque se a scrupulis deduci sivisset, ut fructus beneficii sui vel injuste perceptos, vel non promeritos restitueret; nos una ex parte damnatum hunc errorem fidelium mentibus excipere, alia autem ex parte tenerioris conscientiae viris Ecclesiasticis paterne succurrere cupientes, supra memoratam sententiam, quippe communi virorum *pro se* doctorum sententiae adversam, et ad turbandam inter Ecclesiasticos animi et conscientiae quietem excogitatam, damnamus, et tota mente, ac viribus — abominamur.

CAPITULUM IV.

De Praebendariis.

Canon XXVII. Mementote fratres (pag 22. 27.) quia vos singulari benignitate nostra *ex dura Canonicorum Zagrabiensium servitute, sub qua per 523 annos ingemiscebatis*, liberati ad Canonicorum domus, auro, et argento, byssoque nitentes, hortosque deliciosos, velut ad terram Chanaan, ex coenosa *nova villa* educti, illisque, qui vobis hactenus dominabantur, et apud quos micas sub mensa colligebatis, quasi similes facti estis. — Ve-

stri

Digitized by Google

stri ergo officii erit, ut deinceps ab omnibus mundanis curis alieni, et a negotiis temporalibus semoti, *pure divinis et spiritualibus intenti sitis, DEO jugiter ac devote serviatis: sacra votiva una cum Quasi-Collegis vestris Canonicis pie decenterque celebretis, atque decantetis, obvenientia stipendia cum iis fraterne, et sine invidia dividatis*, totum *officium divinum omni die cum illis in Ecclesia persolvatis, confessiones fidelium, quorum* 20000 *annue in Ecclesia illa confitentur, cum lucro spirituali excipiatis*: Episcopo denique in omnibus, sacris et profanis, aulicis et provincialibus negotiis adjutorio sitis.

Scholion. Absit viri praestantissimi, omnique veneratione dignissimi Beneficiati Ecclesiae Zagrabiensis! ut vos, vestrumque coetum Cribrator vel in minimo laedere velit: oculos solum vobis aperire voluit, ut videretis stultitiam *Szabadhegyii*, qui, dum vos tantis laudibus onerat, tantis praerogativis exornat, et ad Canonicalem plane Majestatem evehit, publico vos deridiculo sine culpa vestra exponit.

Canon XXVIII. Praeter deductas superius obligationes, id quoque vobis, Fratres in Christo carissimi! suademus, et majorem in modum commendamus, ut quemadmodum hactenus, ita in futurum quoque (pag. 27.) *Parochis, qui pluries Zagrabiam ad Epi-*

sco-

Digitized by Google

scopum recurrere debent, et apud vos tanquam fratres potius, quam apud cives seculares, aut in diversoriis condescendunt, promtum hospitium praebeatis, et cum iis panem, sicut Paulus cum Antonio, fraterne dividatis. Recogitare enim debetis, quia *vos Parochis in omnibus aequiparamini, unde fit, ut multi Parochi ad beneficium Praebendae, et vicissim Praebendaristae ad beneficia Parochialia transeant.* Id quoque constanter ante oculos vestros habere debetis, quia vos e terra Aegypti, ubi antea allium et cepas manducabatis, ad terram lacte, et melle fluentem, id est ad pinguia Canonicorum tabernacula, mira DEI providentia deducti estis.

COROLLARIUM. *Hic vir Apostolice Szabadhegyi! vehementer titubas, Praebendarios, quos antea ad culmen Canonicale extulisti, repente Parochis aequiparando.*

CAPITULUM V.

De Parochis et Capellanis.

Canon XXIX. Venimus jam ad vos Doctores populi, gemmae Ecclesiae, pupillae Hierarchiae, Parochi zelosissimi! vos enim, ut verbis sapientissimorum Sorbonae Doctorum, quorum *Reflexiones*, uti luminaria coeli in firmamento orbis Ecclesiastici lucent, utar

(pag.

Digitized by Google

(pag. 5.) *portatis humeris vestris pondus diei, et aestus, vos quotidiana vestra exercitatione non dominamini, sed patimini, bonumque in omnes operamini. Vos hostes Reipublicae in fide DEO, et fidelitate Regi debita coercetis, intestina et civilia bella sedatis, atque in limine suffocatis, vos milites Regios ad propulsandos hostes Patriae strenue accenditis, vos* (pag. 19). dum exleges fratres vestri *Canonici pingues proventus trahunt, saginantur, et incrassantur, esuritis, et sititis, ac saepe in necessariis vitae, atque spiritus angustiamini. In vestris manibus sunt corda, et voluntates subditorum, qui* (pag. 20.) *sino vestro conamine nec DEO fidem, nec Regibus fidelitatem servarent. Vos in corda ipsorum Regum influitis. Vos* (pag. 53.) *ipsis Canonicis capaciores estis, et dum illi eorum, quae olim in scholis didicerunt, jam pridem obliti sunt, vos cuncta,* quae Magistri vobis incusserunt, *memoria tenetis*, denique vos (pag. 12.) *DEO, Regi, Patriae, proximis, et vobismetipsis utiles* estis.

Canon XXX. Interim, quod non sine displicentia hic attingere cogimur, inventi sunt inter vos quidam alta sapientes, et mundanae gloriae fuco super Luciferum elati, qui non contenti laudibus, vestro statui ex ipsa natura propriis, et a nobis cum gaudio recensitis, plane ad *frigidas* et *calidas mundi* Regiones (pag. 29. 37.) abiverunt, ibique lau-

Digitized by Google

des rudibus, et indolatis sacrificulis rapuerunt, sibique appropriarunt; cum tamen scire debuissent, sacrificulos illos inde ab orbe condito extra caulam Christi constitui. Et ideo paterne vos cohortamur, ut alienigenas in futurum in pace sinatis, vestrisque propriis laudibus contenti sitis, juxta illud S. Scripturae effatum, *qui picem tetigerit, inquinabitur ab ea.*

Canon XXXI. Cum ex clementia Regia, et generositate Fundi religionarii jam nunc in locum miserabilis illius Congruae, penes quam Majores vestri labruscam comedebant, annua 800 florenorum pensione gaudeatis, justum est, prout ipsi (pag. 27.) vos obligastis, ut majorem dehinc, quam nonnulli vestrum hactenus fecerint, *pauperibus exhibeatis misericordiam, advenientes* vero *hospites majori cum promtitudine suscipiatis*: insuper autem ampliorem in *vestibus, pileis, pileolis, caligis, colariis, colariolis, collarinis, tibialibus*, nec non mobilibus domus observetis munditiem.

Canon XXXII. Quia vero (pag. 30. 32.) *nihil ad promovendum cultum divinum et propagandam fidem catholicam magis necessarium esse comperitur, quam ut Sacerdotibus, veris Christi Domini ministris, et Apostolorum successoribus debitus honor, et aestimatio primaeva restituatur:* idcirco harum serie firmiter prae-

Digitized by Google

praecipimus, ut *Parochis in statu militari praerogativa, seu ordo, vulgo RANG cum Officialibus stabilibus minoribus* (id est supremis vigiliarum Praefectis, et Vicecolonellis), *in statu vero provinciali cum Vicecomitibus* (intelligendo primarios) *assignetur. Plenarie enim persuasi sumus, absque hac praerogativa Parochis concessa, nunquam in Ecclesia firmitatem, debitum ordinem, et veram harmoniam substituram, atque hoc unicum esse medium, ut Cleri defectui, qui nunc in tota Monarchia Austriaca usque adeo invalescit, succurratur.*

COROLLARIUM I. Episcopos esse veros Apostolorum successores vetustissima, eaque uniformis omnium Christianorum persuasio fuit; sed Parochis etiam hunc honorem tribuendum esse, nunc primo ex aurea *Szabadhegyii* et *Fogassii* Constitutione didicimus, ideoque iis, tantae rei detectoribus, plus debemus, quam Columbo, Americo Vesputio, aut Magellano.

COROLLARIUM II. Hac ratione duo ex Evangelio Textus expungendi venient: unus, *Regnum meum non est de hoc mundo*, alter, *qui vestrum est major, fiat sicut minor.*

COROLLARIUM III. Ne autem quis, dum deinceps ad Parochos litteras scribet, sicut bruchus impingat, scitote, iis deinceps tam in exteriore epistolae involucro, quam in contextu ipsô scribendum esse: *Admodum Reverende, et Spectabilis Domine.*

Canon XXXIII. Concessa taliter universis Parochis praecellentia, turpem illum abusum

Digitized by Google

pro futuro simpliciter tollimus, ut *Parochis* (pag. 37.) *ante superiorem Canonicum suum, qui utique ejus frater est, deeusso petaso stet, vix os ante eum aperire audens.*

COROLLARIUM I. Experientia docet, Parochum nobiliter educatum, et nobilibus conversationibus assuetum sive cum Episcopo, seu Canonico ingenua libertate loqui, et agere, neque hos ita comparatos esse, ut a fratribus suis abjectam illam, quam Patri Quardiano Monachi exhibent, humanitatem postulent; at Parochi, qui ex rustica domo sub imperiosi Magistri ferulam, ab hac ad Seminarium, ubi olim despotismus regnabat, hinc demum in medium rusticanae plebis transiverunt, neque unquam in nobiliorum hominum coetu versati sunt, cum in conspectum eminentioris alicujus personae Ecclesiasticae veniunt, ita se quandoque gerunt, prout rusticus, qui in praesentiam Domini sui veniens pileo os abdit, in sermone titubat, et monitus etiam nec pileo caput tegere, nec sedere sibi fidit.

COROLLARIUM II. At vero, si Episcopus, aut Archidiaconus in officii sui munere procedat, convenientiae ratio dictat, ut interea subalternus Parochus deposito pileo stet, Praelatumque loquentem cum humilitate audiat: nunquam autem ante Superiorem nisi jussus assideat. Id ipsum jam in Synodo Laodicena sub Damaso Canone XX decretum fuit; *non oportet Diaconum ante Presbyterum sedere, sed sedere cum jussu Presbyteri.* Et rursus in Concilio Carthaginensi IV. Can. XXXV. *Episcopus in Ecclesia, et in Consessu Presbyterorum sublimi-*

Digitized by Google

nior sedeat, intra domum vero collegam se Sacerdotum esse cognoscat.

Canon XXXIII. Proposuerunt nobis Parochi medio duorum emissariorum, hominum ceteroquin emunctae naris, et crassi ingenii, atque a scriptis Reflexionibus de trivio notorum, summam necessitatem, ut (pag. 43.) *quemadmodum in Statu militari, ita in Ecclesiastico etiam gradus personarum per signa, vestes, colores, nodos, dependentias, et alia distinguantur. ut primo obtutu quisque scire possit, an sit Parochus, Capellanus, an stabalis, an domesticus, an extraneus?* — Etsi quidem hoc postulatum aliqua aequitate, si non certa, at saltem speciosa niti videatur; cum tamen quaestionis hujus decisio maximis implexa sit difficultatibus, et gravissimae inde sequelae in omnes Catholicos, praesertim autem eos, qui inter haereticos, sacram Bibliam continuo manibus terentes, et de humilitate Christi summa cum eloquentia disserere soliios, versantur, redundaturae praemetuantur, nos sapientissime nos facturos in Domino judicavimus, si intricatam hanc quaestionem ad proximum Concilium Oecumenicum relegaverimus, prout praesentium vigore relegamus.

Corollarium I. Non erat opus hanc quaestionem ad Concilium Oecumenicum relegare, jam enim eam definivit Concilium Nicaenum II. Ca-

Digitized by Google

none XVI, ubi dicitur: omnis luxus, et ornatus corporeus est a sacerdotali statu alienus; a superioribus enim temporibus omnis vir sacerdotalis cum moderato, et honesto vestimento induebatur, sed nec ex sericis texturis variatam quis vestem habebat, neque in extremis vestibus adjecta erant alieni coloris additamenta.

COROLLARIUM II. Si tamen talis vestium distinctio aliquando in usum deduceretur, mihi Cribratori, rem serio perpendenti, totamque historiam Ecclesiasticam ab orbe condito volventi nihil aptius occurrit, quam quod Sixtum V. de Patribus Jesuitis statuere voluisse memoriae proditum est, ut nempe Parochus, tanquam venator animarum, *viride caputium cuspidatum*, Capellanus vero ejusdem coloris caputium *rotundae tamen formae* gestet, at Clerici, tanquam Laici, sine caputio incedant.

Canon XXXV. Conveniens tamen est, ut juxta monitum Concilii Tridentini (Sess. XXV. C. I.) omnes Ecclesiasticae personae ab Episcopo incipiendo, usque ad minimum Ostiarium *in domo, mensa, suppellectili, ac praesertim vestitu, simplicitatem, DEI zelum, et contemtum vanitatum praeseferant.* Unde abusus ille, qui in Dioecesi Zagrabiensi jam a longiori tempore invaluit, tolerari non potest, ut nempe (Pag. 43.) *alii in Bekes, alii in Palendrana, alii in subucula, alii sine colarino, alii seculariter, alii mercantiliter incedant.*

COROLLARIUM I. Nihil tamen obstat, quominus Parochus extra functionem muneris sui con-

Digitized by Google

constitutus, domi aut in itinere, *curtam* vestem nigri, aut cinerei coloris (retento tamen semper aliquo status sui signo, v. g., collari,) gestet. Id enim pro commoditate, quam talaris vestis praestare nequit, tum pro conservatione ipsius talaris amictus, utpote longo pretiosioris, deservit. Cumque Dioecesis Zagrabiensis finitima sit Stiriae, et Carnioliae, ubi omnes promiscue Sacerdotes curta veste induuntur, Populus Croaticus huic rei jam assuetus, si etiam Parochum suum idem facere conspiciat, nullum offendiculum patitur.

COROLLARIUM II. Cum juxta opinionem sapientissimorum legislatorum aliud sit *seculariter*, aliud *mercantiliter* incedere: sequitur mercatores ad Secularium classem non pertinere; ulterior ergo explicatio desideratur, ad quemnam Ordinem Religiosum illi referendi veniant? — Deinde scire percuperem ego Cribrator, in quonam authore classico *Bekes*, et *Palendrana* reperiatur?

Canon XXXVI. (pag. 10.) Cum relatum nobis sit, et experientia constet, *si quid vel minimum Parochus contra Capellanum exponat, eum statim contra Parochum ogganire non erubescere, quod sibi aliud non metuat, quam mutationem stationis suae, quod sic praesertim tunc, quando Capellanus in protectione Superioris sui praefidit.* — Idcirco ad tollendum pro futuro turpem ejusmodi abusum omnibus, et singulis Capellanis praecipimus, ut erga suos Parochos velut Superiores obedientes, et humiles sint: non resistant, non ogganiant: eo, quod

Digitized by Google

ipsis opponetur, contenti sint: non vagentur: non tiburcinentur: non quaerant societates statui, quem profitentur, minus convenientes: memores denique sint in omnibus excelsae vocationis, qua vocati sunt ad pascendum aliquando gregem Domini.

COROLLARIUM. Debuissent hoc loco sapientissimi legislatores etiam officia Parochi erga Capellanos describere, ut nempe hos non tanquam bajulos, aut pueros, qui primo e scholis prodiere, sed ut cooperatores, ut fratres, ut novellas Ecclesiae plantas considerent: eos humaniter et paterne tractent, eorum animos moralibus principiis excolere studeant, aberrantes ad viam virtutis placide reducant: partem oneris apostolici ipsi quoque supportent: honesto victu eos provideant: honorem iis praesertim coram aliis exhibeant: denique sciant, tenellos hos surculos ideo sibi concreditos esse, ut eos exemplo, virtute, et doctrina ad omne virtutis genus incitent, ac condocefaciant, ut sic aliquando digni Rectores Ecclesiae et *vasa spiritualia* fiant.

Canon XXXVII. Quandoquidem autem cognitum nobis esset, prout fragilis est natura humana, alios et alios abusus, qui nec praevideri, nec opportunis remediis praeveniri possunt, de tempore in tempus in caulam Christi subintrare solere, ideo saluberrimam illam futuram Constitutionem existimamus, ut deincepa (pag. 37.) *omnes Parochi Dioecesis Zagrabiensis in certo aliquo loco de anno in annum conveniant, et congressum ce-*

le-

Digitized by Google

lebrent, in quo unusquisque et defectus in sua Parochia, vel in Parochianis observatos, sincere confitebitur, et omnes simul una congregati Patres circa eos, qualiter corrigendos, id quod in Domino videbitur, constituent.

COROLLARIUM. Eruditi *Reflexionarii* hic reflectere debuissent, an Parochis absque expressa Regis aut Episcopi licentia congressus celebrare liceat? quis, donec ii in remotiori loco concilia actitabunt, interea domi spiritualia curabit? aut forte eousque nemo nasci, vel mori, nec gravius decumbere debebit? — porro quis sumtus itineris suppeditabit? quis mensam, et ex quo fundo apparabit? et plura alia.

Canon XXXVIII. Et quia juxta dictamen Legum Patriarum *inania forent judicia, nisi debitae manciparentur executioni*, ac proinde totius Reipublicae Christianae magnopere interresset, ut quae Parochi in congressu suo annuo sapientissime concluserint, in effectum rite deducantur, eapropter vobis Magistratibus politicis, judicialibus, criminalibus, et militaribus in virtute S. obedientiae praecipimus, ut (pag. 36. 37. 38.) *quoties a Parochis requisiti, aut interpellati fueritis, debitam iis assistentiam sine mora, et absque ulla tergiversatione praebeatis, et cum impii plus temporales poenas, quam dicta sacerdotum, et animae ruinam formident, transgressores eorum,*

Digitized by Google

quae in praesenti Constitutione, praesertim Canone XV. continentur, *poenis temporalibus puniatis.* Neque enim (pag. 50.) *in potestate Ecclesiasticorum, qui mansuetudinem Christi in omnibus praeseferre debent, est, seculares transgressores prosternere, sicut Christus prostravit Saulum, neque daemonia ejicere possunt ex iis, in quos pulverem pedum excutere deberent, nisi, deficientibus jam* (perverso hoc seculo) *miraculis, praedominante potestate Civili adjuventur. Seculares, proh dolor! aeque ac Sacerdotes diebus vetitis carnibus vescuntur, ludunt contra expressa praecepta DEI, Ecclesiae, et summi terrae Principis, non vigilant in oratione! quomodo haec, et ejusmodi plura sola praedicatione exstirpabunt Parochi, activitate destituti?*

COROLLARIUM. Parochi hac in re exemplum Christi sequantur, quem nunquam legimus, contra eos, qui legi inobedientes fuerunt, satrapas, et satellites evocasse. Faciat Parochus, quod potest, *arguat, obsecret, increpet* cum omni *mansuetudine*, si hoc non sufficit, dicat cum dolore: *curavimus Babylonem, et non est curata, derelinquamus eam.*

CAPITULUM VI.

De juniori Clero.

Canon XXXIX. Interest quam maxime Reip. Christianae, ut ad arduum curae ani-

ma-

Digitized by Google

marum munus, aliaque Ecclesiastica officia non alii promoveantur, quam qui in concursu sufficientia eruditionis suae specimina ediderint. Atque ideo (pag. 54.) *ut omnibus et singulis alumnis sese in litteris uberius perficiendi stimulus addatur*, praesenti nostra Constitutione decrevimus, ut *singulis in publicis concursibus ternis vicibus approbatis, ac ad primam classem relatis liberum sit pro quacunque dignitate Ecclesiastica, et promotionis gradu competendi, fortunamque quaerendi.* Episcopis autem serio praecipimus; *ut talium peculiarem prae ceteris in accommodatione reflexionem habeant, et habere obligentur. Si enim nulla tales praeclari scientiae studii, et capacitatis suae praemia receperint, non aliud sequi necessum erit, quam ut omnes libros abjiciant?*

COROLLARIUM I. Ohe! viri sapientissimi! nimium vos hic postulatis. An ergo juvenis in concursu primam adeptus classem jus illico habebit pro Episcopatu, Canonicatu, aut Praepositi dignitate competendi? ergo Decurioni, qui se in bello distinxit, aperta illico via est, ad Belliducis, aut supremi Virgiliarum Praefecti, aut vel Centurionis dignitates aspirandi? quaeso *risum teneatis amici!*

COROLLARIUM II. Non possum tamen mihi temperare, quin vos, o Alumni! quiqui estis, etiam atque etiam horter, moneam, et orem, ne libros vestros, etsi statim mitram Episcopalem, aut Canonicale palliolum consequuti non fueritis, *abjiciatis.* Date diligentem stu-

diis

Digitized by Google

diis operam, colite virtutem, audite moderatores vestros; veniet, veniet tempus, ubi dulce erit *meminisse laborum*, veniet inquam tempus, ubi et haec, quibus *Szabadhegyius* nunc imaginationem vestram calefacere vult, *adjicientur vobis.*

Canon XL. (pag. 31.) *Religioni Catholicae propagandae, et bono publico necessarium, Dioecesi autem Zagrabiensi summe proficuum futurum nobis videtur, si in Collegio Romano S. Apollinaris, uti olim, ad minus* 15 *Alumni omni anno bonis disciplinis instituerentur, futuri boni zelatores, et verbi Divini, contra omnes ejus adversarios, insignes seminatores.* Quapropter harum vigore vobis, quorum interest, districtim mandamus, ut piam hanc fundationem, primum a Divo Rege Stephano, uti refertur nobis, institutam renovetis, ut ita apostolica nostra cura tempestive provideatur, *ne fides Christi Domini sensim in Regnis Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae exstirpetur, et desciscat, quae Regna Regibus suis propter illibatam fidem Catholicam adhuc nunquam infidelia exstiterunt.*

COROLLARIUM I. Ergo juvenes Clerici in Patriis Seminariis non ita institui possent, ut ex iis aeque boni *Zelatores*, verbique Divini *Seminatores* evadant? — Et, si tamen patrium mutare solum juvat, cur Romam potius, quam Viennam, uti olim, omni scientiarum genere florens emporium, novellum Clericum mittere satius sit? Estne Reipublicae rationibus

Digitized by Google

bus congruum, ut pecuniae in exteras efferantur oras, et pro illis periculosae quaedam Romani Juris Canonici merces reportentur?

COROLLARIUM II. Ad ultimum praecedentis Canonis membrum bene attendite vos Domini Acatholici in Regno Hungariae habitantes! Inde enim clarum est, vos, qui S. Romanam Catholicam Religionem dereliquistis, Regi fideles esse non posse. Et ideo nolite nobis succensere, si ad vos convertendos aliquot Presbyteros, Romae in Seminario S. Apollinaris educatos, ex Regno Croatiae, ubi S. Religio Catholica sicut virgo floret, miserimus.

Canon XLI. Paterna sollicitudo nostra id a nobis merito exposcit, ut specialiter (pag. 47.) ad juniorem Clerum Zagrabiensem oculos mentis nostrae convertamus. Intelleximus siquidem non dubiis authoribus, *tenellos ejus Seminarii Alumnos in choro tanta vocis contentione quotidie canere solere, ut multi Parochi et Capellani huic unice causae amissum pectoris robur adscribant.* Quapropter harum serie strictissime mandamus, *ut ritus Ambrosianus jam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia Zagrabiensi usitatus, teneramque juventutem admodum enervans, tum quia ad splendorem ritus nihil confert, tum quia hiulcus, vel elevatus esset, abrogetur, atque ad suaviorem, saniorem, et universalem ritum Romanum propter uniformitatem reducatur.* — Spem in reliquo primum quidem in DEO, tum in prudentia sanctissimi Episcopi Zagrabiensis,

nec

Digitized by Google

nec non neo-nati Capituli gravissima quantumvis negotia sapientia sua dirimere scientis collocamus, fore, ut quaestionibus circa ritum Ecclesiae Zagrabiensis intra se enatis, et cum fervore agitatis, juxta praedeclaratam sententiam nostram eamque inalterabilem, finem imponant, mutuisque odiis inconsutam Christi Domini vestem non conscindant.

COROLLARIUM I. Hallucinamini hic, boni viri! et ut candide dicam, in supposito erratis. Juventus enim Ecclesiastica in choro Zagrabiensis Ecclesiae Cathedralis jam dudum canere desiit. Omnis ergo vester metus superfluus est.

COROLLARIUM II. Ritum Ambrosianum, qui jam a 700 annis in Ecclesia Zagrabiensi viguit, ac nonnisi regnante Josepho II. sublatus est, *hiulcum* appellare viris religiosis indignum est. Ceterum aliquas inter Episcopum, et Capitulares ratione ritus ortas esse disceptationes, nemini mirum est. Nam et Capitulo a ritu 700 annorum recedere difficile, et Episcopo, ut ritus Romanus, tota in Dioecesi, imo tota in Hungaria usitatus, hic quoque propter uniformitatem inducatur, ad officium suum pertinere videbatur. Interim spes est, et hanc petram scandali feliciter tandem submotum iri.

CAPITULUM VII.

De Ecclesia, Aedituis et Campanatoribus.

Canon XLII. Non sine stupore ad aures nostras perlatum est (pag. 39.) *pecunias Ec-*

cle-

Digitized by Google

clesiarum Dioecesis Zagrabiensis adeo fraudulenter, aut negligenter tractatas esse, ut intra 20 annos centum millia florenorum in libris Archidiaconalibus connotata quidem sint, reipsa tamen nusquam amplius in rerum natura existant. Eorum enim pars periit, pars exmissa est, pars desperata, pars negata, pars dubitata, quia non probata. Quae res, cum in se gravissima sit, praesenti nostro Decreto, primum quidem omnes et singulos Archidiaconos in conscientia obligamus, ut libros Archidiaconales, actaque visitationum a 20 annis diligenter excutiant, calculumque capitalium ad Ecclesias pertinentium, interusuriorumque neglectorum ineant, atque ubi haereant, liquida, an illiquida sint, Episcopo quamprimum una cum suo voto relationem faciant: tum vero te Maximiliane Episcope, decus Ecclesiae Zagrabiensis, hortamur in Domino, ut necessariam provisionem omni meliori modo facias, ut haerentia ubicunque capitalia et interusuria Ecclesiis restituantur, aut securis locis elocentur.

COROLLARIUM. Cum manifestum sit, exposita centum mille florenorum capitalia tantum in cerebro sapientissimorum duorum *Reflexionariorum* esse, eorum perquisitione Episcopum, et Capitulum gravare, esset pertusa Danaidum dolia aqua implere; verum nomine omnium Ecclesiarum requiruntur ambo denuncia-

to-

Digitized by Google

tores, ut capitalia haec, ubi sint, propria industria perquirant, jure, vel alio quocunque modo videbitur, incassent, tertiam eorum partem titulo remunerationis denunciatoribus obvenientis habituri. Dignum sane est, nervos omnes intendere pro 33333 florenis, 20 cruciferis! — sed enim vereor, ne et hic dicatur; *parturiunt montes, prodit ridiculus mus.*

Canon XLIII. Ut autem in futurum securitati capitalium ad Ecclesias pertinentium plene prospiciatur, (pag. 41.) volumus, et mandamus, ut *prout jam in Synodo Ergeliana decisum fuit, generalis Procuratoris omnium in hac Dioecesi Ecclesiarum officium postliminio restabiliatur, cujus muneris erit, Parochos, et alios Clericos contra potentiam Secularium, a quibus saepe non modo in rebus, et facultatibus, sed in ipsis etiam personis gravibus injuriis afficiuntur, defendere, juraque Ecclesiarum in judiciis, et extra illa tueri.* Ut autem communis hic Parochorum et Ecclesiarum Angelus honeste vivere possit, volumus, ut ei *ex Capitali 20000 florenorum a Thoma olim Augustich fundato*, et nunc, uti a duobus fidedignis Authoribus pro certo asseritur, *in Capitulo Zagrabiensi adhaerente*, atque (ut unus ex iis magis illuminatus supponit) probabilius hactenus *pro privatis Capituli Fiscalibus applicito*, non modo competens, verum etiam generosum solarium in singulos annos exsolvatur.

Co-

Digitized by Google

COROLLARIUM I. Tenores Synodi Erghelianae tales sunt: *Quia recuperatio bonorum*, (ab Ecclesiis avulsorum) *praeter reliqua adminicula periti ac seduli Advocati, seu Procuratoris operam requirit, sed et ipsi quoque Parochi, et alii Clerici nonnunquam per Seculares non modo in rebus suis, ac facultatibus, verum etiam in ipsis personis gravibus injuriis afficerentur; eapropter Reverendissimus Dominus Ordinarius fieri curabit, ut idonei ad praemissos effectus Procuratores communi totius Ecclesiae nomine cum decenti salario conducantur. In quod singuli Dioecesis hujus Parochi, singulos 50 denarios annuos sese collaturos obtulerunt.* Hinc videre est, 1. ea aetate, id est circa annum 1634 multa bona ab Ecclesiis avulsa, Parochos autem despicatui habitos fuisse. Utrumque (DEO infinitae laudes!) *Catholico* hoc seculo cessavit; publicorum ergo Advocatorum necessitas amplius non est. 2. Singulos Parochos pro salariis Advocatorum annuos 50 denarios sponte ac benevole obtulisse: quod cum factum non sit, quid aliud, o boni Parochi! sequitur, quam ut *nervo belli deficiente*, de pace cum omnibus hostibus vestris tractetis? 3. At quid, si aliquis dicat, *promissum cadit in debitum?* tum enimvero nihil restat aliud, quam ut vos, quiqui veteres Parochi estis, bursas, et reconditos loculos vestros aperiatis, et restantes a 158 annis denarios 50 Zagrabiam mittatis. Ita, si vel 370 veteres Parochias assumamus, nascetur capitale 29230 florenorum, ex cujus annuo censu florenos 1461 salvo errore calculi efficiente Generalis Dioecesis Procurator conduci, et honorato salario provideri poterit.

Digitized by Google

COROLLARIUM II.° At forte in 20000 florenis, quos Canonicum olim Zagrabiensem *Augustick* hunc in finem legasse, magnus vester Patronus *Szabadhegyius* asserit, spem locatis? — Vah infandum *Szabadhegyium!* et hic vobis, o boni viri, arces in aere ostendit, vobisque ingentis molis *ocularia*, objectum quodvis centuplo augentia, apposuit. Augustichius tantum 500 florenorum capitale legavit, duobus ergo solum zeris praeclarus, si Diis placet, calculator summam adauxit. Jam nunc quaerite vobis, si lubet, Advocatum, qui pro salario 25 florenorum (tantum enim, et nihil plus ex illa summa interusurium annue resultat) omnes totius Dioecesis Ecclesias, Parochos, Capellanos, Aedituos, et Campanatores coram omnibus Foris sacris et profanis defendat, laesis assistat, haerentes in luto extrahat. At quonam interusuria multorum annorum impensa sint, quaeritis? Equidem fama accepimus, ea a Capitulo Vicariis generalibus eum in finem tradi solita esse, ut pauperioribus Parochis, praesertim lite aliqua implexis, subsidium inde suppeditent, cumque ejus rei necessitas quovis anno haud occurrerit, interusuria capitali addita, indeque primitivum capitale ad majorem aliquanto summam, singulari Capituli diligentia, evectum esse. —

Qui non credit, ei suademus, ut Praefectum piarum summarum in Capitulo Zagrabiensi adeat, eumque consulat. Nobis enim non vacat, publica solum fama, et fidedignorum Parochorum relatione, tacto pectore facta, contentis.

Ca-

Digitized by Google

Canon XLIV. Cum porro ex iisdem limpidissimis fontibus innotuerit (pag. 38.), *ab aedituis peculia Ecclesiarum et Capellarum, sine praescitu Parochorum, causa ineundae amicitiae, vel participandi lucri, hinc inde apud plebem elocari, eosque interusuria in foeno, vino, vectoribus, laboratoribus, aratris, lignis a potiori pro se desumere: sed et campanatores* (accipitribus pejores) eo jam progressos esse, ut honoratum hoc *servitium nec acceptarent, nisi spes eos aleret fore, ut de oleo, vel de candelis, vel de eleemosyna, vel de supellestili Ecclesiae aliquid decerpere*, id est rapere possint: eapropter nos authoritate nobis competente ordinamus, ut *Generalis* Ecclesiarum *Procurator*, quamprimum officium suum adiverit, statim omnes Aedituos et Campanatores tremenda lite conveniat, nec prius gladium furoris vibrare cesset, quam hae immanes Ecclesiarum pestes, uti exercitus olim Ducis Senacherib, exterminatae, ac de facie terrae deletae fuerint.

Corollarium. Certum est, multos aedituos, et campanatores esse honestae indolis, simpliculos, idiotas, ac veros Israelitas, fraudisque et doli expertes, quomodo ergo cuncti absque discrimine universali cataclysmate, uti barbari Legislatores praetendunt, puniri possunt? Haec profecto nova in Ecclesia Christianorum persecutio esset!

Digitized by Google

Canon XLV. Propositum nobis fuit nomine Cleri Croatici (pag. 45.) *pretium cerae in Regno Croatiae ultra modum accrevisse, unde grave in Ecclesias redundaret detrimentum. Hujus vero rei eam esse causam, quod Graeci et Judaei eandem Ecclesiarum damno praeoccupent, atque praemant, candelae vero in majoribus funeribus copiosius distribuantur, quae ad instar aliarum Provinciarum solis sacerdotibus distribuendae venirent.* Supplicatum ea propter fuit nobis humillime, ut gravi huic Ecclesiatum omnium detrimento, et praejudicio authoritate nostra Apostolica opitulari vellemus. Quia autem justis precibus non esset denegandus assensus, idcirco harum serie constituimus, ut in omnibus finitimis Dioecesis Parochiis ad normam tricesimalium Officiorum obequitatores, sumtibus Ecclesiarum, constituantur, qui omnes e Regno exeuntes Graecos, et Judaeos (ne saccis quidem parcendo) severe visitent, ac, si forte ceram sive crudam, seu artefactam deprehenderent, eam ipso facto *in commissum* accipiant, atque Matri Ecclesiae resignent, secus non facturi. Quantum autem ad aliud petitionis membrum attinet, priusquam finalem elargiamur resolutionem, praevie id a Magistratu Viennensi resciendum existimavimus (prout jam eidem a nobis scriptum est) an reipsa talis mos Viennae et in aliis

Pro-

Digitized by Google

Provinciis Germanicis vigeat, ut in funeribus solis sacerdotibus, adeoque exclusis cujuscunque status et ordinis Secularibus, cerei distribuantur.

COROLLARIUM. Utrumque postulatum insignem Legislatoris utriusque inscitiam prodit. Nam libertati commercii obices ponere illicitum, cereos autem in exteris Provinciis *tantum* sacerdotibus distribui solere, manifeste falsum est. Agite potius Parochi, ut in qualibet Parochia pro parte Ecclesiae *apiarium* opportuno loco erigatur, ejusque cura probo alicui viro, pro ratione mellis mercedem habituro, concredatur. Ita Ecclesiae vestrae cereis providebuntur, sine necessitate eos parato aere comparandi, imo ultra etiam aliquid pro aliis necessitatibus manebit. Posito enim, in 500 apiariis (cum tot sint in Croatia, et Sclavonia circiter Parochiae) tantum 25 alvearia singillatim esse, posito, in singulis apiariis nonnisi 2. centenarios mellis *sporco*, id est cum cera commixti, produci, in tota Dioecesi 1000 centenarii prodibunt, quorum singulum tantum 8. florenis aestimando, in cassam Ecclesiarum annue floreni 8000 influent. Qualis! quam innocens! quam certus proventus! — Et cur hoc fieri non posset? cur modicam illam apiarii unius curam Aedituus, Campanator, aut ipse Parochus gerere detrectaret? Cur non alter aliquis Parochianus reliquis probior et solertior?

Canon XLVI. Id quoque nobis relatum fuit, nonnullos Parochos, adeo simplices et inexpertos esse (pag. 49.) *ut, cum pro Ecclesiis contractus ineunt, ab opificibus se decipi*

sinant, damno Ecclesiarum gravi et evidenti. Quapropter ut ruditati talium Parochorum amodo in posterum paterne subveniatur, vi praesentis nostri Decreti decernimus, ut *quavis in Civitate vir aliquis probus et expertus constituatur, qui ad requisitionem Parochorum pro rebus Ecclesiarum cum pictoribus, statuariis, arculariis, aurifabris, et aliis contractus, si necessarii sint, faciat.*

COROLLARIUM. Tantae simplicitatis nota Parochos Croaticos insignire, est eos publico ludibrio exponere. Quem, quaeso, in finem Ecclesiae talem quavis in Civitate suffraganeum eligant, solvant, et sustentent? si Parochus suae debilitatis conscius contractum *per se* inire sibi non fidit; an difficile est, amicum aliquem in Civitate reperire, qui lubens ei in re tam exigua, et quidem sine mercede, suam addicat operam?

Canon XLVII. Antequam pastorali huic Ordinationi supremam manum imponamus, non possumus non duorum gravissimorum abusuum, quorum fama ad aures Pietatis nostrae pervenit, mentionem facere. Relatum siquidem nobis fuit fidedigne, in catholicissimo olim Regno Croatiae adeo infandam Philosophorum sectam, et cum ea Atheismum, Jansenismum, Libertinismum, et quidquid aliud in damnabile *ismus* exit, invaluisse, ut (pag. 50.) in materia abditissimarum fidei nostrae veritatum *Rusticus tantum*

Digitized by Google

tum materialiter credat, Dominus formaliter disputet, Sacerdos taliter qualiter adoret. Praeterea vero seculares Magistratus usque adeo phylacteria potestatis suae expandere coepisse, ut (pag. 46.) *dispositiones quascunque Comitatus, de carnibus, pane, et aliis inconvenientibus cathedraliter publicari praetendant, quibus abusibus multi e Parochis illum etiam addunt, ut oblata titulo v. g. recuperatae valetudinis, vel sub alio pio praetextu Ecclesiae donata vota aeque cathedraliter promulgent.* Aequum est, ut utrique gravi sane, et pestifero huic malo pro viribus a DEO nobis nullo nostro merito superabundanter donatis obviam eamus. Atque ideo, quantum ad primum, omnes, et singulos animarum Curatores paterne hortamur, et monemus, nihilominus et mandamus, ut (relictis interea in materialismo Rusticis) Nobiles de mysteriis fidei formaliter disputantes ad rigorosum examen trahant, et, si disputare non cessaverint, modis et viis a sacra Inquisitione inventis, et practicatis os iis occludant; fratres vero suos Parochos, de crimine *taliter qualiter* vocato suspectos, mox Ordinario suo denuncient, ad sacram Sedem citandos, atque ibidem in *Camerula* caritatis nervose docendos, et sensibiliter erudiendos. Quantum autem ad aliud accusationis punctum attinet, omnibus Parochis, et Capellanis, prae-

Digitized by Google

sertim autem Monachis, districtim prohibemus, ut in Cathedra nec vota fidelium cum ostensione candelae, nec publicas dispositiones, nec aliud quidquam, a verbo divino, aut a propria Parochi necessitate (uti est, dum operas, aut vecturas gratuitas a rusticis petit) alienum promulgare amplius praesumant.

COROLLARIUM. Quoniam consuetudo vota in cathedra offerendi in sola Croatia vigens extraneis prorsus incognita esset, operae pretium me facturum judico, si quid ea res sibi velit, in eorum gratiam breviter dilucidatum abs me fuerit.

Res igitur sic se habet. Finita concione, multi ex auditoribus viri et feminae, maxime autem vetulae, seriatim ad cathedram ascendunt, ibique candelam ab Ecclesia uno grosso emtam Concionatori tradunt, ac quid promulgari desiderent, in aures ei insusurrant. Concionator ergo candelam manu tenens, ac populo ostentans, clara voce promulgat: *haec mulier, ut liberetur a magico incantu; illa, ut spiritus in somno apparens e purgatorio liber fiat; hic vir, pro fidelibus defunctis, ille pro infirmo equo, vacca, etc. hoc votum offert.* Atque hoc modo et quinquaginta saepe candelae populo ostentantur, et totidem historiolae aliquot verbis recensentur, non sine ingenti saepe audientium nausea, saepe et risu. Finita concione omnes has candelas aedituus colligit, reponitque, proxime iterum vendendas. Hoc vocatur *pium commercium*. In multis quidem Parochiis turpis haec, et superstitionis altrix nundina-

Digitized by Google

dinatio, a piis Parochis sublata est, dubium tamen non est, eam in multis adhuc Ecclesiis, quibus Parochi veteribus praejudiciis imbuti, aut turpis lucri cupidi etiamnum praesunt, subsistere. Undi fateri debeo, hanc unicam me in toto *Szabadhegyii* libro invenisse propositionem, quae cribrari non mereatur; at vicissim generatim postulare, ut nihil omnino e cathedra promulgetur, videtur mihi esse res omnino cribro dignissima. Cur enim publicae Regis, Episcopi, aut Comitatus dispositiones in commune omnium bonum tendentes populo in Ecclesia congregato promulgare nefas esset? cur, si miser aliquis rusticus quidpiam perdiderat, rei perditae notitiam auditoribus dare minus liceret? hoc utique videtur ipsa caritas Christiana exposcere. At vero in cathedra publicare, *cras Dominus terrestralis decimationem vini inchoabit; tali die festo pro excolenda Ecclesiae terra arabili, vel vinea venite; proximo Festo pro lignis mihi gratuito pro sextario vini convehendis majori numero comparete*; hoc enimvero indignum est.

CAPITULUM VIII.

De generali Cleri Zagrabiensis Taberna.

Canon XLVIII. Quamvis in plerisque Conciliis, nominanter autem in Concilio Carthaginensi III. omnibus, cujuscunque ordinis, classis, generis, speciei, sexusque Clericis, et Religiosis severissime interdictum fuerit, ne quis *edendi vel bibendi caussa publicam ta-*

Digitized by Google

bernam ingredi auderet; cum tamen ad notitiam nostram pervenerit, imo propria etiam nostra experientia didicerimus, multos, imo plerosque Parochos, et Capellanos, dum Zagrabiam vel humaniter invitati a Venerabili Consistorio, vel proprio instinctu veniunt, non in recinctu sanctae Civitatis Capitularis, eique contiguae Villae olim *Praemonstratensium*, nunc *Opatovina* dictae, verum apud vicinos Pillistaeos, Amoraeos, Jebusaeos, et Gergezaeos, id est *in nova Villa*, in villa *Latinorum*, nec non in *Harmicza*, et *in monte Grecs*, super quo Civitas Regia stat, condescendere, ibique, non obstante laudabili Capituli vigilantia, idolo Bacchi, utinam non quandoque et Astarti (quae interpretatur *Venus*) occulta sacrificia offerre, idcirco animo revolventes, non circumstantias legibus, sed leges circumstantiis accommodandas venire, Statuta anteriorum Conciliorum de *Tabernis* editorum, firmo et deliberato animo, cassamus, annihilamus, et abrogamus, unaque praecipimus, ut in medio S. Civitatis Capitularis (pag. 44.) *Generale Clericorum Dioecesis Zagrabiensis diversorium*, seu *taberna erigatur*, huicque piissimo, utilissimoque instituto mox, et indilate manus admoveatur.

Canon XLIX. Ne autem in exequutione hujus nostrae Constitutionis errores, et de-

fe-

Digitized by Google

fectus oriantur, verum omnia tanquam acies bene ordinata in suo ordine, pondere, et mensura fiant, et constabiliantur, mandamus, ut domus illa Capitularis, quae facta est *in opprobrium vicinis, et derisionem* a) quo citius reaedificetur, atque ita *pro Generali Cleri Zagrabiensis Taberna*, cum symbolo *Bethlehem*, quod interpretatur *domus panis*, a foris pendente convertatur, cui quidem Tabernae volumus unum ex Ecclesiasticis *Cauponem* doctrina, et scientia prae ceteris magis excultum (ut nempe hospites ad se adventantes verbo, et exemplo aedificare sciat) cum titulo: *Venerabilis Cauponis* praefici. — Sciant autem futuri in hoc publico Clericorum diversorio venerabiles Caupones, sese gravem DEO rationem reddituros, si immemores officii sui advenientes ad se cujuscunque classis Clericos hinc inde per Civitatem sine justa causa divagari, aut pictis foliis ludere, aut compotationibus indulgere siverint, vel volentibus noctu exire damnabili indulgentia portam apertam reliquerint, verum indesinenter vigilent, ut omnes spiritu potius, quam corpore congregati hospites in oratione, piisque operibus, quemadmodum discipulos Christi fecisse legimus in Actis Apostolorum, nocte dieque perseverantes sint, et maneant.

Ca-

a) Secunda a porta superiori, undique hians, guinae proxima.

Digitized by Google

Canon L. Ante omnia autem scitote vos, o futuri sacrae hujus cauponae Rectores! venerabiles in Christo fratres! vobis novi hujus sanctuarii custodiam ita a nobis traditam esse, ut instar Seraphim, qui ante fores Paradisi cum gladio igneo stetit, die nocteque excubetis, ne ullae unquam mulieres, cujuscunque sint status, conditionis, corporaturae, formae, et coloris, quocunque tempore, sub praetextu qualicunque, palam, vel furtim eo ingrediantur, aut irrepant, ne sancta haec Bethlehem successu temporis fiat in petram scandali simpliculis quibusdam, et a daemonio suspicionum obsessis Secularibus, quemadmodum cum Canonicorum olim domibus factum esse tristis experientia docet. Ne porro in ministeriis culinae, aliisque hujus generis ab defectum ancillarum defectus oriri contingat, salutarem eam in Domino jam fecimus dispotitionem, ut ea a junioribus Clericis, illic pro praxi condiscenda adfuturis, eodem modo, quo apud seculares Judices et Advocatos *Patuaristae* facere solebant, perficiantur, iis autem et Capellani quoque, quos a venerabili Consistorio *ad audiendum verbum* evocari continget, pro adjumento quandoque adjungantur.

Canon LI. Quibus omnibus rite stabilitis, cunctis in Dioecesi Zagrabiensi habitantibus Clericis, praecipue autem vobis Parochis et

Ca-

Digitized by Google

Capellanis, in virtute S. Obedientiae praecipimus, ut mox, atque Zagrabiam quacunque ex parte adveneritis, ad Civitatem sanctam recta via, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes, intrare, in dicta *Generali Cleri Zagrabiensis Taberna* hospitium capere, ibique vos modeste, sobrie, et exemplariter, prout bonos Ecclesiasticos decet, gerere teneamini, ac debeatis.

COROLLARIUM I. Quod sapientissimi Legislatores Generalem Cleri Zagrabiensis Tabernam erigi praeceperint, videntur sibi pro exemplo assumsisse Judaeos, qui singulis fere Hungariae in Civitatibus communem tabernam, atque in ea suae unice gentis cauponem habent. Itaque Judaeis peregre venientibus non licet alio divertere, quam in commune hoc gentis Judaicae diversorium, ne, si vel in aliis tabernis stabularentur, vel privatorum domus subirent, *contaminarentur*, et (notate Parochi, et Capellani) periculum forte incurrerent, quidpiam ex *immundis animalibus* degustandi.

COROLLARIUM II. Quodsi Clericis Zagrabiensis Dioecesis tantum in generali hac Taberna hospitandi obligatio imponitur, quaero, cui Praebendarii deinceps hospitium praebebunt? quomodo obligationem sibi Canone XXVIII impositam explebunt?

Canon LII. Atque hae sunt Apostolicae nostrae Constitutiones, quas velut supplementa omnium Conciliorum, atque Synodorum, ad majorem DEI Gloriam, pro decore S. Matris Ecclesiae, incremento *unicae* in Croatia,

Digitized by Google

tia, id est Catholicae Religionis, et communi totius nobis in Christo dilectissimae Dioecesis Zagrabiensis bono atque utilitate edendas existimavimus, quasque ab omnibus et singulis Dioecesis hujus Clericis ab Episcopo incipiendo usque ad minimum Ostiarium, sacrosancte observandas iterum atque iterum mandamus, praecipimus, secus non facturi. Gratiam in reliquo, et Apostolicam vobis benedictionem impertimur. Datum in Civitate nostra Veriodunensi *a*) pridie Calendas Novembris anno reparatae salutis, ut supra.

(L.S.) *Hieronymus Szabadhegyi. m. p.*

Ladislaus Fogassi. m. p.

Anno

---

a) Liber *Reflexionum* Veriodini impressus in titulo exprimitur, verius *Falsoduni.*

Digitized by Google

* * *

Anno reparatae salutis humanae 1791 IV. Idus Decembris celebrata fuit sub praesidio sanctissimi Praesulis Maximiliani DEI gratia Episcopi Zagrabiensis Synodus Dioecesana, ad quam ex universa Dioecesi Zagrabiensi praeter Capitulares jam in Christo renatos, et Reverendissimos Praebendarios, nec non 50 districtuum Archidiaconos, multi ex admodum Reverendis et Spectabilibus Parochis, et Capellanis, eorum vero loco, qui legitime impediti comparere non potuerunt, eorundem Ludimagistri, Aeditui, aut Campanatores, suis titulis dignissimi (agmen claudente venerabili Caupone) in Domino confluxerunt, in qua novae Apostolicorum virorum *Hieronymi Szabadhegyii*, et *Ladislai Fogassi* (quibus longaevam vitam, et pinguem de coelo benedictionem omnes uno ore comprecati sunt) Constitutiones alta voce lectae, publicatae, et nemine contradicente acceptatae fuerunt. — Cumque per novam hanc Constitutionem ordo rerum, qui hactenus in Dioecesi Zagrabiensi a seculis obtinebat, quasi ex fundamento inversus, atque ex hac caussa diversae quaestiones quoad ordinem sessionis, ac titulos inter DD. Deputatos enatae fuerint, visum est Patribus in hac Synodo congregatis pro necessaria praesentium, et futurorum regula in Domino de-

cer-

Digitized by Google

cernere, ut post sanctissimum totius Ecclesiae Zagrabiensis Praesulem primum locum octo Canonici, velut totidem planetae circa solem, retento *Reverendissimi* titulo, deinceps quoque obtineant; hos autem immediate sequantur *Praebendarii*, quippe qui *imminuti sunt paulo minus ab angelis*, id est Canonicis, cum titulo *Quasi-Reverendissimi*. His proxime accedat venerabilis Caupo, tum ob praecellentiam officii, quod gerit, tum ob reverentiam etiam loci, cum ei in medio Civitatis sanctae, et quidem inter Canonicos, et Praebendarios habitaculum assignatum fuerit. Post hunc sedem capiant 50 *Archidiaconi* rurales, seu Vicarii forenses, qui cum juxta mentem Decreti *Szabadhegyiani* deinceps reales Parochi, his tamen unico solum gradu superiores futuri sint, titulo: *Admodum Reverendi et Magnifici Domini*, utique contenti esse poterunt, et debebunt, salvo tamen jure, violacei coloris tibialia et cingulos gestandi, pro iis ultra quoque manente. Proximi his adstent *Parochi*, jam nunc cum Vicecomitibus ad unam lineam positi, cum axiomate: *Admodum Reverendi et Spectabiles*; tum *Capellani*, quibus hac occasione character *Jurassoris* assignatus est, cum titulo: *Reverendi et Perillustres*. — Quaestio subinde obmota fuit, an etiam de Clericis, Ludimagistris, Aedituis,

et

Digitized by Google

et Campanatoribus aliquid constituendum esset? et post longam disceptationem in eo tandem unanimiter coalitum fuit, ut, cum Clerici, seu Alumni non secus, ac pulli adhuc in ovo existentes, consequenter relate ad Hierarchiam non ut entia *in esse*, sed tantum *in fieri* considerari possint, a titulo iis concedendo praescindatur. Licebit tamen eos *Carissimi Fratres*, compellare. Contra autem *Ludimagistri*, velut naturales Parochorum Ministri, Consiliarii, et dextra manus, in laudem canorae vocis *Clarissimi*; porro *Aeditui*, utpote jam per tremendam litem purificati, et cautiores redditi, *Prudentes et Circumspecti*; Campanatores denique, dehinc ab onere frequentandarum Academiarum (unica illa, quae in turri est, excepta) liberi futuri, *Agiles* et *Strenui* vocitentur. Quibus pro justo et aequo definitis, conclusum ultronee fuit in praelaudata Synodo, ut ultima die Octobris, qua nempe salutaris Dioecesis Zagrabiensis reformatio feliciter perfecta fuit, praedictorum Apostolorum Hieronymi, es Ladislai commemoratio in locum S. Wolfgangi Episcopi, alioquin Carmioli, *a*) in omnibus Ecclc-

a) Author *Szabadhegyi* more infimae plebis Croatiae in libello suo, ubicunque *Germanum* nominare voluit, *Carniolum* nominat, putans totam Germaniam in Carniolia subsistere.

Digitized by Google

clesiis ritu solenni fiat, eaque die nemini fidelium servilibus vacare laboribus liceat. Decretum praeterea fuit, ut haec ipsa Constitutio sanctissimo Metropolitae Colocensi (cui DEUS longaevam vitam, omneque bonum tribuat,) omnibusque Regni Hungariae Episcopis Ecclesias DEI in spiritu sapientiae, et virtutis gubernantibus, prout etiam piissimis Episcopis Bosnensi, aliter Diakovariensi, ruti et Transilvaniensi in authenticis Paribus communicetur, quo et in eorum Dioecesibus *lumen solis oriatur*, et spissae tenebrae dissipentur. Quibus et aliis compluribus bonum Dioecesis Zagrabiensis, et totius Ecclesiae Christianae respicientibus negotiis feliciter terminatis, decantatoque in Ecclesia Cathedrali inter tubas, et tympana Hymno Ambrosiano, omnes in Christo adunati animarum Pastores, eorumque Subdelegati ad propria reversi fuerunt, glorificantes Dominum, qui haec eis magnalia in urbe sancta ostendere dignatus fuit. Amen.

CONCLUSIO.

Atque ita finis impositus est et vestrae Hieronyme *Szabadhegyi*, ac Ladislae *Fogasi*, Legislatores praestantissimi! reformationi et cribrationi nostrae. Jam nunc cribrum in clavo appendimus, nunquam amplius, nisi pro-

Digitized by Google

provocati fuerimus, resumendum. Quid restat amplius? quam ut vos amicos Reformatores (quidni enim terminata jam lite amicos vos compellem?) etiam atque etiam horter, moneam, et orem, ut nunquam vobis amplius in mentem veniat, vel projecta cudere, vel de novis pro Dioecesi Zagrabiensi condendis legibus somniare, nisi prius Historiam Ecclesiasticam, Decreta SS. Conciliorum, Statuta Synodalia, sacros Canones, aliasque eam in rem necessarias scientias, non *superficialiter*, verum *profunda meditatione*, *longoque usu* condidiceritis. Sine his enim adminiculis ad leges perscribendas accedere, nihil est aliud, quam sine filo Ariadnes in labyrinthum errorum se immergere, non sine manifesto periculo, in fauces Minotauri, id est publicae *Censurae*, incidendi. Neque hoc satis. Amplius a vobis Publicum Regni Croatiae, quod turpissime offendistis, expectat, imo exigit, ut nempe viris, de utraque Republica sacra quippe et profana optime meritis, Canonicis Zagrabiensibus in *concreto*, et *individualiter* honorem, inaudita temeritate laesum, publica omnium, quae adversus eos indigne scripsistis, revocatione, quoad licet, restituatis. Denique ne pluribus vos monitis onerem, habete quaeso deinceps semper ante oculos auream illam Ciceronis (de officiis L. III.) sententiam; *Non*

Digitized by Google

solum natura, id est jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis Civitatibus Respublica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui (vel Parochorum) *causa nocere alteri. — Detrahere igitur alteri, et hominem hominis incommodo suum* (aut Parochorum) *augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam PAUPERTAS, quam dolor.* — Unum adhuc mihi Cribratori exsolvendum superest promissum, ut nempe formam *supplicis Libelli*, Regi Francisco, aut Statibus Regni in Comitiis congregatis proponendi, tum *Planum* universalis Parochorum tam Hungariae, quam Croatiae, et Sclavoniae dotationis tanquam appendicem vestro, o Parochi! imo ipsius etiam Publici examini substernam. Id nunc facio. Favete.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX.

FORMULA

Libelli supplicis, qui in locum Szahadhegyianae declamationis, nomine Parochorum, et Capellanorum Dioecesis Zagrabiensis, pro congrua dotatione Regi Apostolico Francisco II. exhiberi posse, salvo altiori judicio, existimatur.

AUGUSTISSIME IMPERATOR, REX APOSTOLICE!

Patiatur Majestas Vestra Caesarea Regiaque, ut fidelissimi, sed una afflictissimi Dioecesis Zagrabiensis Parochi, et Capellani sublimi Trono Regio, quem Majestas vestra cum unanimi omnium Populorum spirituali nostrae curae divinitus concreditorum gratulatione adivit, appropinquemus, nobisque de *congrua* vitae sustentatione, toties promissa, nunquam praestita, tandem aliquando prospici, ea, qua subditos decet, cum submissione oremus.

Digitized by Google

Equidem non praesumimus, neque opus esse judicamus longa oratione commemorare, quam utiles Reipublicae utrique, sacrae et profanae, omni aevo fuerint, sintque hodiedum Pastores animarum Parochi. Nullus enim est in omnibus Europae Provinciis, nec fuit adeo ignorans Minister, aut Politicus, quin veritatem hanc, sole clariorem, plene cognoverit, ac ipsis quasi manibus comprehenderit.

Neque id hoc loco in medium adferre nostri est propositi, quantopere Regum, cunctarumque bene constitutarum Rerumpublicarum intersit, ut huic adeo utili, ac necessariae Civium classi de *Congruis*, ac *Sufficientibus* vivendi mediis prospiciatur; quae si absint, et spiritualem eorum industriam cum damno populi labascere, et Cleri ipsius numerum cum detrimento Ecclesiae diminui, necesse est. Vetus haec est cantilena, quam hic recantare, esset patientia Majestatis Vestrae abuti.

Inde certe ab exordio Regni Hungariae nullus Regum Hungarorum fuit, quin, sanctissimis Regis Apostolici Stephani vestigiis insistendo, Ecclesiarum virorumque sacrorum iis praepositorum, provisionem inter primarias Regni curas reponendam sibi esse existimasset. — Hac una pientissimorum Regum providentia primis quinque seculis tota,

in

Digitized by Google

in Hungaria partibusque ei adnexis usque adeo florebat Religio Catholica, assurgebant ubique templa, et Basilicae: sanctitas vitae non in Monasteriis solum, sed in Aulis etiam Principum vigebat: denique sacri Curiones, amplis latifundiis, et pinguibus beneficiis Regum munificentia dotati, itaque anxiis de pane conquirendo curis soluti, spirituali unice gregum suorum curae incumbebant. — Sed enim sparsa successu temporis in Regno Hungariae novarum doctrinarum semina: exortae inter Cives animorum dissensiones; bella intestina, et externa, atque innumerae aliae calamitates Religionem, Ecclesias, Pastores, Regnum ipsum perdiderunt.

Sub Leopoldo tandem Rege, gloriosissimo Majestatis Vestrae Atavo, novae lucis radii afflictae, ac pene funditus eversae Ecclesiae Hungaricae affulgere coeperunt. Vixdum compositis turbis domesticis, exactisque e Regno Christiani nominis hostibus Turcis, pius, ac vere Apostolicus Princeps solenni se sponsione obstinxit, DEOque omnipotenti vovit, Ecclesias temporum injuria collapsas se restauraturum, sacris autem Curionibus, ad extremas fere ubique redactis angustias, novis fundationibus auxiliatricem porrecturum manum. Et vero fecit sanctissimus, votique tam solenniter eliciti quotidie memor Princeps, quod potuit, quod

Digitized by Google

aerarii Regii bellis exhausti tenuitas admisit, quod nondum satis pacatus Regni status sinebat. Huic quidem pio certe Principi praeter plurima alia munificentiae Regiae monimenta debet Ecclesia Hungarica, quod fundamentum *Cassae Parochorum*, quam nunc *Fundi Religionarii* nomine compellamus, feliciter jactum, isque annuis 12 mille florenis assignatis locupletatus fuerit.

Nihilo minor augendae Ecclesiae DEI, sacrorumque Curionum adjuvandorum cura, atque sollicitudo tenuit, quoad vixit, Carolum VI. dignum Leopoldo filium, dignum in Monarchia tam ampla successorem. Ejus namque liberalitate *Cassa Parochorum* egregie aucta, ejus sapientissima Constitutione congrua singulorum Parochorum sustentatio in annuis florenis 150, uniusque integrae sessionis colonicalis, a Parochianis excolendae, possessorio defixa, constabilitaque fuit.

Eodem prorsus spirita animata fuit incomparabilis, et vere Apostolica Regina, M. Theresia Caroli VI. in virtutibus non minus, ac Regnis Heres. Hac Principe per annos 40 pientissime regnante, tot Ecclesiae aedificatae, tot altaria erecta, tot sacri calices, et apparatus distributi, tot novae Parochiae excitatae, fundataeque, tot veteres Parochi, quos egestas paulo major depressit, subsidiis adjuti, et ad spes ampliores ere-

Digitized by Google

erecti fuere, ut, qui cetera innumera summique momenti Magnae hujus Principis facinora ignoraret, is eam toto vitae tempore uni huic curae intentam fuisse existimare posset. Hujus augustae Imperatricis largitate, industria et indefesso zelo Cassa Parochorum ad annuum 600 mille florenorum proventum evecta est, quam summam cum innumerae tot Ecclesiarum necdum satis provisarum nesessitates absorberent, et nihilominus superessent quam plurimae, quarum penuriae succurri debuisset, *provisorio* interea Decreto sancivit, ut Congrua Parochorum in annuis 200 florenis, donec amplior fundo Religionis accessio procurata fuerit, consisteret. At omnes omnium Regum antecessorum conatus, ardentissimaque licet Ecclesiis DEI, earumque Rectoribus providendi studia longe superavit Josephi II. immortalis memoriae Regis pietas, nullisque se limitibus constringi patiens sollicitudo, qui ut vastum, DEOque acceptissimum, atque Reipublicae utilissimum Parochorum *Dotationis* opus tandem aliquando perficeretur, nulli labori, fatigiis nullis parcendum judicavit. Cumque omni virium cum intensione tamen *Fundum Religionis* ad eam, quae tot tantisque Ecclesiarum necessitatibus sufficeret, consistentiam deduci haud posse vidisset, ad extrema delabi maluit remedia, quam ut opus feliciter

ter inchoatum imperfectum relinqueretur. Itaque pio accensus zelo Ordines Religiosos sustulit, Claustra et Monasteria evacuavit, Capitula ad minorem personarum numerum reduxit, beneficia simplicia in curata convertit; Praelatis, aliisque bonorum Ecclesiasticorum possessoribus nova imposuit onera, confraternitates abrogavit, nihil denique reliquit intentatum, ut magnas suas ideas ad optatum finem perduceret. Equidem plurimae novae Parochiae, hoc Principe Regnorum gubernacula tenente, cum immortali ejus gloria assurrexerunt; verum proh dolor! nec veteribus Parochis prospectum, nec novis, tantum 300. florenorum Congrua dotatis, consultum satis fuit. Mors praematura, subsequutaque rerum pene omnium conversio et magnos illius conatus, et spes miserorum Parochorum peremit.

Successit tandem desideratissimus Majestatis Vestrae Genitor, et gloriosae memoriae Rex Apostolicus Leopoldus II. quem anno superiore e vivorum numero sublatum omnia tam vastae Monarchiae Regna, et Provinciae, sed praesertim miseri nos, et continuis agitati tempestatibus Parochi non secus luximus, quam si communem Patrem amisissemus. Et merito id quidem. Vidimus enim primo statim ejus Regni anno, nec sine intima animorum voluptate vidi-

mus,

Digitized by Google

mus, quae nostrum omnium, sortisque nostrae leniendae cura, quae sollicitudo tenero ejus animo insederit; ut enim communis omnium nostrum felicitas tandem non modo Principis authoritate, sed Legis etiam firmitate constabiliretur, is Status et Ordines Regni Hungariae eique adnexarum Provinciarum in Comitiis anni 1790. congregatos eo permovit, ut viri de utraque Rep. bene meriti scientiis, rerumque usu praestantissime instructi publica lege deligerentur, qui leges, quibus perenni Ecclesiarum DEI, earumque Ministrorum felicitati consuleretur, conscriberent, perferrentque; quo in laudabili sane opere, ipso etiam Regio Principe Alexandro Leopoldo, Regni Hungariae Palatino strenue cooperante, nunc quoque in metropolitana Budensi Urbe desudatur.

Vestrae ergo Majestati Caesareo Regiae divinitus reservatum fuit, ut, quod tot pientissimi antecessores per temporum vicissitudines perficere non potuerunt, felici successu coronaret. Vestrae Majestati reservata fuit summa illa, atque nullo unquam aevo obliteranda gloria, ut miseri Parochi, et Capellani, aut infra Congruam a sanctissimis Regibus Carolo, M. Theresia, et Josepho II. stabilitam dejecti, aut penes illam ipsam Congruam aegerrime, longeque infra statum viventes, itaque quotidianis curis anxii, et af-

Digitized by Google

afflicti, ad eum tandem alimoniae gradum ponamur, ut non quidem superfluis, non opimis, quae nec quaerimus, talibus tamen, quae ad vitam honeste, decenterque, honorati cujuscunque civis instar, ducendam sufficiant, subsistendi mediis provideamur.

Enimvero transierunt jam dudum illa tempora, ubi pauculis cruciferis et mensa apparari, et familia per diem sustentari, itaque annua 200, aut 300 florenorum *Congrua* Parocho, Capellano, et famulitio totius anni spatio alendis sufficere potuit. Jam nunc, circulante per DEI gratiam majore in Regno pecuniarum massa, pretia rerum duplo, et triplo aucta sunt. Novae praeterea necessitates, eaeque variae et multiplices, quae ne de nomine quidem praedecessoribus nostris cognitae fuerunt, in omni civium classe enatae sunt. Ut adeo, nisi Congrua ea proportione, qua rerum pretia necessitatesque creverunt, augmentum acceperit, desperandum pene nobis sit, aut, omni deinceps in pane quaerendo posita cura, principalis vocationis nostrae finis, qui est cura animarum, non sine intimo animorum nostrorum dolore, et conscientiae remorsu negligendus. Atque ideo Majestatem Vestram Caesaream Regiamque, tanquam supremum in Hungaria Ecclesiarum DEI Patronum obsequentissimi Regnorum Croatiae, et Sclavo-

Digitized by Google

voniae Dioecesis Zagrabiensis Parochi, et Capellani profunda cum demissione oramus atque obtestamur.

Primo: Ut omnem authoritatem a DEO sibi concessam interponere dignetur, quo *Congrua* nostra in eo tandem cardine collocetur, ne justa amplius lamentandi, nostraeque indolendi sorti nobis relinquatur causa; quod fiet, si Majestas Vestra eos, quorum studio, diligentiae et dexteritati magnum dotationis Parochorum, et Capellanorum opus legetenus commissum est, ad illud, quoad fieri potuerit, accelerandum, clementissime adhortari dignabitur. Ita enim fiet, ne longa defatigati exspectatione esurire, et sitire, aut plane desperare cogamur.

Secundo: Ut eo etiam usque, donec circa dotationem nostram per leges aliquid conclusum, constitutumque fuerit, nos in avito, et legitimo *stolarium* proventuum usu clementissime relinquere, et conservare dignetur. In extremam enim maestitiam, imo desperationem nos conjici oportet, dum, nullo quacunque ex parte adveniente levamine, modicum etiam illud subsidium, quod ex stolari desumtione guttatim in nos derivabatur, per Regias Resolutiones, et Consilii Locumtenentialis Regii Ordinationes, continua serie sibi succedentes, per partes nobis decerpi, atque eripi videmus.

De

Digitized by Google

De reliquo dignetur Majestas Vestra humillimum futurae Parochorum, et Capellanorum dotationis *Planum*, ab amico nostro concinnatum, atque a nobis matura deliberatione examinatum, quod isthic adnectimus, benigno animo acceptare, illudque non ita, quasi Majestati Vestrae, aut sapientissimis Legislatoribus legem praescribere vellemus, sed ut perenne nostrae erga Majestatem Vestram fidelitatis, fiduciae, et venerationis monumentum respicere, nos denique Regia sua gratia et clementia complecti, qui, dum pro longaeva Majestatis Vestrae, totiusque Domus Regiae conservatione DEUM omnis boni authorem indignis nostris precibus quotidie invocamus, vivere, et mori cupimus

MAJESTATIS VESTRAE CAESAREAE REGIAEQUE

humillimi perpetuoque fideles Parochi et Capellani Regnorum Croatiae et Sclavoniae Dioecesis Zagrabiensis.

PLA-

Digitized by Google

PLANUM

Dotationis Parochorum, et Capellanorum, ab Amico eorum adumbratum, et publico examini propositum.

GENERALIA PRINCIPIA.

I.

Bina illa, tanquam certa principia pro fundamento assumimus. *Qui servit altari, vivat ab altari.* Item, *Qui alteri laborem commodat, justum est, ut mercedem recipiat.* Utrumque ostendit, Parochis, et Capellanis, qui populo sibi concredito, atque adeo Reipublicae serviunt, de *congrua* eaque *sufficienti* vitae sustentatione providendum esse.

II.

Ut Parochi spirituali suo munio exacte satisfaciant, non sunt alienis curis onerandi, neque a principali scopo avocandi. Oportet igitur illis grave *oeconomiae* ruralis onus demere, ne *villici* potius esse cogantur, quam *pastores* animarum.

III.

Digitized by Google

III.

Attendendum tamen est, ne, dum uni malo remedium quaeritur, in aliud longe majus, et periculosius, otium nempe, incidant Parochi. Quid enim vacuis a laboribus Apostolicis horis facient, omni labore soluti, ac honestissima animi relaxatione, quam agricultura praestat, destituti? — Necessarium ergo est, cuivis Parocho *hortum*, *foenile* pro duobus equis, et totidem vaccis, et saltem 4 *jugera agrorum*, a Parochianis excolenda, in locis autem vitiferis etiam *vineolam* relinquere, in quibus se occupent. — Quid? quod hoc modo iis occasio dabitur, utilia experimenta oeconomica in parvo suscipiendi, et sic Parochianis, uti multi in Imperio Germanico Ministri acatholici laudabiliter faciunt, etiam in re oeconomica exemplo praelucendi.

IV.

Nemini fas est, *mentem Fundatoris immutare*, *evertere*, *aut alio transferre*. Inde sequitur, sapientissimam Josephi II. Constitutionem ultra quoque pro regula servandam esse, vi cujus Parochi in pacifico *omnium suorum proventuum* (etsi hi Congruam infra proponendam longe excederent) usu, et possessorio relinquendi statuuntur.

V.

Digitized by Google

V.

Ut praescripto SS. Canonum, et repetitis Regum Hungariae Constitutionibus tandem satisfiat, universali *Stolarium* exactionum (ne matrimoniali quidem demta) sublationi obsistere nec aequum, nec conveniens est. Juste tamen praetendi potest, ut huic Parochialis subsistentiae non postremo ramo aequivalens compensatio substituatur.

VI.

Stipendium, quod pro *Missis eventualibus* solvi solet, non potest secus considerari, quam ut proventus mere accidens, incertus, atque cum officio pastorali nullatenus connexus. Non potest igitur in Congruam imputari.

VII.

Idem sentiendum est etiam de *Sacris fundatis* seu *Altariis*, quae licet certa, distinctam tamen a cura animarum obligationem secum ferunt. Itaque nec ista ad classem Congruae referri possunt.

VIII.

Stante principio I. aequum est, ut quivis Parochianus, cujuscunque status et ordinis sit, Pastori suo annuum aliquod *Pensum*, partim ut mercedem laboris, partim ut aequivalens stolaris proventus solvat; nobilis ergo Parochianus, nisi injustus esse velit, a communi hac obligatione se eximere nec potest, nec debet.

Digitized by Google

IX.

Cum rerum omnium pretia hac aetate duplo, et triplo accreverint, insuper autem multae necessitates, majoribus nostris incognitae, enatae sint; consectaneum est, nec Carolinam 150 nec Theresianam 200 nec Josephinam 300 florenorum Congruam amplius stare posse. Computentur strictissimo licet calculo omnia, quibus Parochus per annum opus habet, et veritas hujus asserti luce clarius apparebit.

X.

Ita etiam Capellani unius Congruam hactenus consuetam in 30 florenis ultronee stabilire incongruum foret. Nam nec obviis illius necessitatibus per id occurritur, insuper autem Parocho, qui eum victu, potu, hospitio, lignis providere debet, dum nihil eo titulo percipit, manifesta infertur injuria.

CONGRUA.

XI.

Etsi autem evidenti calculo demonstratum jam saepe fuerit, Parochum, nisi 600 minimum, et Capellanum, nisi 200 florenos annue percipiat, subsistere non posse, cum tamen juxta nostrum systema Parochus deinceps ultra Congruam *libera Sacra*, tum *hortum, foenile*, et 4 *jugera agrorum* habiturus sit, ne vel Patronis, vel fundo religionis, vel con-

tri-

Digitized by Google

tribuenti etiam plebi justo majus imponatur onus, videtur eo usque, donec cum divina gratia amplior fundus repertus fuerit, Parochi quidem Congrua in annuis florenis 400, Capellani vero fl. 150 (ex quibus Parocho medietas cedet) defigi, et stabiliti posse. — Id tamen suapte intelligitur, Parochis in Liberis, Regiisque Civitatibus, aut celebrioribus Oppidis constitutis, prout etiam iis, qui majori hospitum adventantium frequentiae expositi sunt, ampliorem quam hic exposita sit, et quidem loci circumstantiis consentaneam (praemisso aequanimi examine) ejectandam esse Congruam.

FONTES CONGRUAE.

XII.

Ut autem Congrua haec Parochis et Capellanis rite obveniat, primum et ante omnia videndum est, an aliqua *Fundatio* Parochi vel Capellani exstet? — Ejus enim annuum interusurium in Congruam assumi debet.

XIII.

Omnes Subditi Parochiales, omnes fundi, quocunque nomine censeantur (demtis unice horto, foenili, et 4 jugeribus terrae arabilis) ob rationes, puncto III. expositas, vel in perpetuum *vendendi*, vel a quovis Parocho, dum beneficium adit, ad dies vitae,

Digitized by Google

vel mutationis suae erga annuum censum elocandi venient. Posterius tamen longe tutius, atque aequius futurum putatur propterea, quod pretia terrarum semper crescant, ac proinde census etiam arendales sensim altius elevari posse spes sit, cum id de interusuriis sperare neutiquam liceat. Quidquid sit, *interusuria* capitalium ex venditis fundis, et Subditis resultantium, aut *Census arendales* etiam partem Congruae constituent.

XIV.

Ut puncto I. et VIII. satisfiat, ea regula firmiter stabilienda videtur, ut quivis *Inquilinus* Parocho annue cruciferos 15, Inquilinus domiciliatus cruciferos 30, Colonus mediae aut infra sessionis cruciferos 45, denique *Colonus, ultra mediam sessionem* habens, florenum 1 in duobus terminis dependat.

XV.

Quodsi aliquo loco Parochianus antehac nomine *Lecticalis*, aut *Saponum*, vel quocunque alio titulo Parocho suo quidpiam sive in parato aere, seu in frugibus praestitisset, summa, quae ultra pensum praecedente puncto expositum resultare justo calculo comperietur, Parocho in parato semper aere dependenda, adeoque in Congruam assumenda erit.

XVI.

Digitized by Google

XVI.

Ne autem in desumtione Pensi, puncto XIV. et XV. commemorati, intra Parochum et Parochianos occasio dissensionibus, et odiis, quod maximopere cavendum est, praebeatur, consultum fore videtur, ut *Viceperceptoribus* Comitatuum stabile mandatum detur, ut dum ordinarium quantum contributionale a Subditis incassabunt, Pensum etiam Parochi eadem fidelia exigant, percipiant, et Parocho erga *quietantiam* tradant. Quae dispositio cum respectu Parochorum graeci Ritus non unitorum jam dudum in Comitatibus facta sit, cur is favor Parochis Romano-Catholicis negetur?

XVII.

Quodsi Parochianus *Nobilis* fuerit, ne praerogativae nobilitari praejudicium inferri quispiam conqueri possit, aequitas postulat, ut is annuum aliquod *honorarium*, conventione coram authentica Comitatus persona inita, Parocho in singulos annos offerat, aeque ad Congruam referendum.

XVIII.

Cum tam numerosis, iisque positivis, nec unquam revocatis Legibus, nominatim vero novellari Art. 71. anni 1723. constitutum sit, ut Parochis per universum Regnum Hungariae *Sedecima* Decimae ecclesiasticae, aut, ubi in usu fuerit, *octava* tribuatur, ei legi

Digitized by Google

firmissime insistere oportebit. Neque obest, an Episcopus, vel Nobilis Decimam a rustico percipiat? anve eae leges in usum deductae sint nec ne? — Legi enim, quamdiu non revocatur, ad amussim, (nulla alioquin praescriptione locum habente) parendum est.

XIX.

Ne autem successive dissensiones, aut plane lites inter Parochum, et Dominum Decimae ratione Sedecimae oriri contingat, optimum futurum videtur, ut stabilis, ac perpetuo duratura *Conventio* in praesentia authenticae cujuspiam personae cum Domino Decimae ineatur, certaque summa annue Parocho eo titulo dependenda, consequenter in partem Congruae adnumeranda determinetur.

XX.

Si quo loco Parochus beneficio lignationis destitutus esset, ne majorem Congruae partem in sola forte ligna consumere cogatur, aequitatis ratio postulare videtur, ut ei in silvis communibus, aut privatis Dominorum terrestrium, si quae adsunt, modicum aliquod *Deputatum lignorum* gratis, et quidem *citra imputationem in Congruam* assignetur, et absque omni ejus cura in aream illius convehatur, habita insuper et Capellani si quis adesset, condigna reflexione. Id quod a Dominis terrestribus pro cognito eorum Religio-

Digitized by Google

ligionis, Bonique publici zelo, et aequitatis amore sperare licet.

XXI.

Hac ratione, ordinarii Congruae Parochorum, et Capellanorum fontes erunt:

a) Fundationes jam praeexistentes.

b) Census *arendales* fundorum Parochialium, vel *Interusuria* capitalium ex venditione eorum resultantium.

c) *Pensum* annuum a Parochianis praestandum.

d) *Honorarium* ex conventione cum Nobilibus ineunda.

e) *Aequivalens* Lecticalis, saponum etc. juxta sensnm puncti XV.

f) *Sedecima*, vel, ubi in usu fuit, *octava* Decimae pars, in paratum aes reducta.

SUPPLEMENTA CONGRUAE.

XXII.

Quodsi omnes hactenus recensiti fontes ad complendam Parochi, et Capellani Congruam aliquo in loco minus sufficerent, Regis erit in Bonis *Coronalibus*, *Cameralibus*, iisque, quae ad *fundum Religionis*, *Studiorum*, *Seminariorum*, etc. pertinent, ex ordinariis eorundem proventibus defectum supplere. Primum exigit supremi Patronatus munus,

Digitized by Google

aliud obligatio ex natura rei inhaerens. Incongruum enim foret, si proventus e bonis fundi Religionarii, studiorum, seminariorum etc. in pios extra Bona positos usus converterentur, illius autem usus, qui omnium pientissimus est, dotationis nempe Parochorum, et Capellanorum, justa ratio non haberetur.

XXIII.

Ita etiam de bonis *Episcoporum*, *Capitulorum*, *Abbatum*, aliorumque Beneficiatorum, prout et *Monasteriorum* bona possidentium, quaestio esse non potest. Horum enim prima, ac praecipua, mentique piorum fundatorum omnino consentanea est obligatio, ut Ecclesiis in recinctu bonorum suorum sitis, earumque Rectoribus ante omnia et ad amussim satisfiat.

XXIV.

Hac autem obligatione omnibus Ecclesiasticorum bonorum possessoribus ex aequo imposita, suapte sequitur, eos a *Decimalitate*, seu decima proventuum parte ad fundum Religionis annue pendenda eatenus absolvendos esse, quatenus se pro dotatione Parochorum, et Capellanorum aliquid annue expendere, docere poterunt.

XXV.

Quoad Liberas Regiasque *Civitates*, *Oppidaque* quaedam privilegiata videretur superfluum esse isthic mentionem facere, cum

sup-

Digitized by Google

supponere liceat, (et reipsa in plerisque ita est) Parochos et Capellanos in medio illorum ita nobiliter fundatos esse, ut uberiori Congrua opus minime habeant. Sicubi tamen res aliter se haberet, illic ex publica Civitatis, Oppidive cassa (id ipsum etiam de *privilegiatis* quibusdam *Districtibus* intelligendo) supplementum Congruae praestandum foret, justitia distributiva id ipsum postulante. Si enim non Magistratuales solum personae, sed minimi etiam Officiales convenientibus illic provisi sunt salariis, ecquid viro, qui maximum utilissimumque praestat servitium, competens a nobis proposita negabitur sustentatio? — Id vero, quod jam supra monuimus, suapte intelligitur, miserabilem illam esse Civitatem, nec hoc nomine dignam, quae Parocho suo, quotidianis longeque majoribus, quam in oppidis, et pagis, sumtibus exposito, saltem mille florenorum Congruam (ultra Sacra fundata, aliaque jam supra exposita beneficia) annue dare non possit, vel non velit.

XXVI.

At in bonis Magnatum, ac Nobilium jure Patronatus gaudentium, etsi de jure, et consuetudine in cunctis aliis Provinciis vigente omne onus in *Patronos* derivandum esset, in Hungaria tamen durae Legi, speciatim autem novellari art. 71. 1723. cui cujus *Dota-*

Digitized by Google

tio Parochorum in contribuentem plebem reficitur) tamdiu insistendum erit, quamdiu lex, adeo aequitati repugnans, in Regni Comitiis sublata, atque in momentoso hoc negotio id, quod justitiae magis consentaneum videbitur, constitutum non fuerit.

XXVII.

In iis tandem Bonis, ubi vel nulli, vel pauperes degunt Patroni, eorumque Subditi, aut ubi maxima pars Acatholicorum est, *Cassae Parochorum*, hunc unice ob finem erectae, sive *Fundi Religionarii* sic dicti erit, defectum Congruae in toto, vel in parte supplere.

XXVIII.

Ut tamen *Fundo Religionis*, aliisque, in quos Parochorum, Capellanorumque sustentatio in superioribus derivata fuit, consulatur, e re futurum putatur, si aliquae e novis Parochiis, sub Josepho II. forte sine graviori necessitate multiplicatae, secus a matre Ecclesia vix horae spatio dissitae, sublatae fuerint. Compendium certe sumtuum erit, si Parocho, restitutis Filialibus, Capellanus potius unus cum annuis florenis 150 additus fuerit, quam ut novus Parochus tantis cum impendiis constituatur, alaturque.

XXIX.

Hoc modo, quem demisse proposuimus, dum universi per Regnum Hungariae Partesque ei adnexas Parochi veteres, et novi (exce-

Digitized by Google

ceptis iis, qui ampliori, quam a nobis propositum sit, beneficio gaudent)

a) Sacra cujuscunque nominis libera,
b) Hortum et foenile,
c) 4 jugera agrorum.
d) Deputatum in lignis,
e) Pro Capellani victu, et hospitio, annue flor. 75.
f) Denique in parato aere florenos 400 habituri, Capellani vero ultra id, quod Parocho cedit, florenos 75 pro privato suo usu percepturi sunt, spes est, eos honeste decenterque deinceps subsistere posse, ac proinde vix ullum superest dubium, diuturnis eorum, justissimis tamen querimoniis, et lamentis finem impositum iri.

XXX.

Contra autem Parochiani a *Stola* cujuscunque nominis, a *nummis Paschalibus*, a *lecticali*, a *saponibus*, a *colleda*, *penso* pro Festo 3 Regum dari solito, cunctis denique aliis, quam, quae in hoc *Plano* expositae sunt, praestationibus immunes posthac liberique manebunt.

XXXI.

Sed et *Fundo Religionis* non leve posthac accedet levamen. Cum enim plerique Parochorum Capellanorumque ex diversis hacte-

Digitized by Google

hactenus in medium allatis fundis notabilem alimenti partem accepturi sint, quantula pars manebit, ex fundo Religionis supplenda, aut ex integro solvenda?

Atque haec sunt, o Parochi, et Capellani! quae ego cultor, et amicus vester hortatu etiam quorundam e confratribus vestris, quos jam a longiori tempore arctior mihi amicitia junxit, in chartam conjicienda putavi. Vestrum jam erit, omnia rite examinare, quae non placebunt, rescindere, quae meliora videbuntur, addere, illum denique, quem opportunissimum judicabitis, harum cogitationum usum facere. Quam felix ero, si tenui hac opella ad communem vestram felicitatem vel aliquid me contulisse momenti, ac proinde *Szabadhegyianis* somniis utilius, rationique, et Regni circumstantiis magis appositum Projectum formasse intellexero! Valete, vestrumque cultorem, et amicum affectibus fovete.

FINIS.

Digitized by Google

Index
Rerum memorabilium.

A.

Acatholici. Gravis eis e Croatia imminet tempestas. vid. *Roma.*

Aeditui. Non Conimbricae, sed in stabulo fundamenta scientiae ponunt. 133. peculia Ecclesiarum clepsant. pag. 163. terribili lite conveniuntur. *ibid.* purificantur. 177. titulo *Prudentes et Circumspecti* gaudent. *ibid.* Cribrator eos excusat. 163.

Agentes. Pecuniam a Parochis Croaticis ne acceptent. 128. Id simoniam sapit. *ibid.*

Apiarium quaevis in Croatia Ecclesia habeat. 163. Hoc Cribrator bono animo projectat. *ibid.* Sic cereorum defectus non erit. *ibid.* Cur Canonici apes nominentur? 50.

Archidiaconi. Hactenus otiosi, tantum id sciverunt, quod ad eos in *vecte* vel *biperis* allatum est. 129. ruri habitent. *ibid.* mille florenis contenti sint. 46. 130. singulis decem Parochis unus praeficiatur. 129. sic sola Dioecesis Zagrabiensis quinquaginta Archidiaconos numerabit. *ibid.* eritne hoc bene? 130. Secularium conscientias scrupulose excutiant. 131. Campanatorum scientiam explorent. *ibid.* Aedituorum tesseras examinent. *ibid.* Sunt oculi Episcoporum. 130. ingentes facultates Roma accipiunt. 131. quid per Archidiaconalia patibula intelli-

Digitized by Google

gatur? 132. Titulo *A. R. Domini et Magnifici* gaudent. 176. violacei coloris tibialia gestant. *ibid.*

Asinus. Ejus in libro honorata fit mentio. 86. pellem leonis induit. 65. Cribrator eam detrahit. *ibid.* Cur asinus equo foenum invidet? 98.

B.

Bellua. Nulla speciem suam devorat, excepto Szabadhegyio. 18. 51. Novum hoc animal ad *Cornupetas* referri potest, 63.

C.

Campanatores in Croatia qua scientiae laude florent. 132. Campanas egregie trahunt. 133. Oleum, et candelas Ecclesiae furantur. v. *Comitia.* iis tremendam litem intentat Szabadhegyius. 163. Cribrator caput movet. *ibid.* cur *Agiles et Strenui*? 177. supplent absentes Parochos in Synodo. 175.

Canonici Zagrabienses. Szabadhegyius Congruam Parochis quaerit. 31. Fundum in Bonis Canonicorum assignat. 60. Eos tolli et dispergi vult. *ibid.* ut persuadeat, eos infamat. 64. Cur taceant ad calumnias? 1. an in Secularibus spem ponere possint? — negat Szabadhegyius. 64. Cribrator affirmat, et irascitur. *ibid.*

Canonici otiantur. 79. laboribus obruuntur. 80. commendatur iis exercitium honesti opificii. 136.

Canonici chorum non frequentant. 84. Cribrator contra chorum pugnat. 85. nonnihil tamen diffidit suis argumentis. 88. Canonici bonum Cribratoris animum agnoscunt, a choro tamen se non eximunt. 90. an proventus restituere teneantur? *ibid.* Bulla eos absolvit *ibid.* aliter sentientes excommunicat. *ibid.*

Ca-

Digitized by Google

INDEX.

Canonici non confitentur. 93. signum innocentiae. 94. sapiens Szabadhegyii regulatio. 137.
Canonici confessiones non audiunt. 91. Pauci Zagrabiae Seculares ad confessionem vadunt. *ibid.* Jubilaeum. *ibid.* Canonici sunt Poenitentiarii *ibid.* id est Confessarii *ibid.*
Canonici missam raro celebrant 92. Canonistae ea de re tacent. *ibid.* audiunt tamen. *ibid.*
Canonici concionari non volunt. 95. cujus id muneris, Episcopi, an Canonicorum? *ibid.* Episcopus diligenter concionatur. 96. absentem Canonici libenter supplent. *ibid.*
Canonici pauperibus eleemosynam non dant. 97. Cur mendici ad Capitulum tam libenter vadunt? 101. etiam coeci. *ibid.* pulcrum institutum tubicinum 137.
Canonici comessantur 97. cur Szabadhegyius invidet? 97. pulcra fabula de Asino et Equo. 98. more Spartanorum in platea comedant 138.
Canonici avare vivunt, Croesi thesauros congregant. 97. annuus proventus unius Canonici vix 2000 florenos facit. 98. arant, et occant. *ibid.* Eorum domus sunt diversoria Croatarum. 101. multos in Croatia juvant. *ibid.*
Canonici inter se discordes. 101. suntne homines? magna quaestio. 103. Szabadhegyius finem discordiis ponit. 135.
Canonici cum Episcopo non conveniunt. 104. eum amant et colunt. *ibid.* quandoque disputant. 158. Szabadhegyius de vita Episcopi desperat. 102.
Canonici mulieres in domibus alunt. 105. Sodoma, et Gomorrha. vid. *Zagrabia.* Parochi sine feminis vivunt. 108. S. Hieronymus virgines et viduas salutat. 110. Novum in Capitulo protocol-

Digitized by Google

tocollum de subjecto et praedicato 139. Testes castitatis Canonicalis. vid. *Praebendarii.*

Canonicorum patronus vid. *Cribrator.*

Capitula in genere. Magnum iis ab austro periculum imminet. 60. Szabadhegyius compungitur, sola imminutione contentus. *ibid.* Columnas angue pejus odit. 61. Cribrator se murum pro Capitulis ponit. *ibid.* etiam columnas vexari non sinit. 63. tantum Nobiles ad Canonicatus promovere haeretica propositio. 141.

Capitulum Zagrabiense. Quid est Capitulum? 9. qui aures habet, audiat. *ibid.* a pag. I. usque ad ultimam laudatur, et vituperatur. — inalterabili decreto viginti Canonici migrare debent. 61. et quidem sine pensione. *ibid.* tantum octo Canonici manent. *ibid.* magnum vacuum Praebendarii explent. vid. *Praebendarii.* Cribrator irascitur. *ibid.* Szabadhegyii ad novum Capitulum paterna monita. 135. Capitulum ardet. vid. *mulieres.*

Capellani 70 florenorum Congruam a Szabadhegyio obtinent. 46. Cribrator non nihil liberalior est. 195. Parochis non minentur 151. a Parochis delicate tractentur. 152. Sunt enim vasa spiritualia *ibid.* vestitu a Parochis distinguantur. 149. an non potius per caputium viride rotundum? 150. Jurassoris characterem obtinent. 146. et titulum, *Reverendi ac Perillustres. ibid.*

Cathedra. vid. *Emporium.*

Chasmense Capitulum antiquissimum. 46. de patria optime meritum. *ibid.* mendicat. *ibid.* etiam in felici regulatione Szabadhegyiana praeteritur. *ibid.* Solus Cribrator sorti indolet. *ibid.*

Clerici pulli in ovo. 177. Ecclesiastici *in fieri. ibid.* Fratres *Carissimi. ibid.* primam classem ad-

Digitized by Google

adepti pro Episcopatu competere possunt. 155. hoc Cribratori nimium videtur *ibid.* pro futuro tamen spem non adimit. *ibid.* et ideo libros non abjiciant. *ibid.* in Ecclesia canant, sed non vociferentur. 157. haec malarum concionum origo. *ibid.* *Patuaria* eorum in generali Cleri Zagrabiensis caupona. 172.

Columnae. in Capitulis sentina malorum. 63. res malum odorem spargit. *ibid.* Cribrator indignatur. *ibid.* Calumniator se abscondit. *ibid.*

Comitia Regni. Ante omnia leges de Aedituis, et Campanatoribus ferendae. 127. hi sunt bases Reipublicae. v. *fures.* Pro quovis pago specialis legum codex edendus. *ibid.* ita Szabadhegyio placet. *ibid.*

Confinia militaria olim decimam praestiterunt. 117. pulcra speculatio pro Parochis. 118. Parochorum militarium *Rang* cum Vicecolonellis. 147.

Congressus. Parochi omni anno generalem in Croatia Congressum celebrent. 152. momentosa ejus objecta. *ibid.* interea nemo nasci vel mori debet. 153. quis expensas dabit? difficilis quaestio. *ibid.*

Congrua Parochorum 800 floreni. 48. fontes siccantur. 59. gemitus et ejulatus. 119. Cribrator 400 florenos bono animo offert. 195. plus adhuc adjicit 192. et *sequ.* novos fontes designat. 195. Sibi plaudit 204. Parochorum tamen examini subjicit. *ibid.*

Consistoria. Sententias antecitationem ferant. 123. taxam calumniae deponat actor ante litem. *ibid.* rectene Fogassius legem intellexit? *ibid.* Consistoria parochos *taliter qualiter* credentes nervose doceant. 167.

Digitized by Google

Cribrator. Cur ita se appellat? 26. Szabadhegyium et Canonicos Zagrabienses egregie cribrat. *ibid.* hic triticum, ibi paleas excribrat. *ibid. et in decursu operis.* Cribrum ad clavum appendit. 178. fit Secretarius, et — glossas componit. 122. Capitula defendit 60. Canonicos Zagrab. christiane excusat. 79, et *sequ.* ignem restinguit. v. *mulieres.* Parochorum causam coram Rege agit. 190. ridet. 17. aethiopem lavat. 18. fit melancholicus. 58. irascitur. 64. 104. suspirat. 119. placatur, et reconciliatur cum Szabadhegyio. 179.

D.

Decima. Eam Szabadhegyius pro Congrua Parochorum assignat. 115. Generalis in Regno insurrectio, 116. a fabis tamen desumi poterit. 117. etiam a Confiniariis *ibid.* quomodo Parochus Parochum deplumare posset? *ibid.* Parochi sedecima contenti erunt — tantum detur. 197.

Diversorium. An verum sit, in Capitulo Zagrab. viginti octo diversoria esse. 100. vide *Taberna.*

E.

Ecclesiae in Croatia. Centum millia florenorum in capitali habent. 159, sed tantum in scripto. *ibid.* imo tantum in cerebro Szabadhegyii. *ibid.* ei tertialitas promittitur, tantum exquirat. 160. Cribrator ridet. *ibid.* Cur tantus in Croatia cerae defectus? v. *Judaei.* Cerei in funeribus tantum Sacerdotibus distribuantur. 164. non Secularibus. *ibid.* hoc ubique per totum orbem usitatum. *ibid.* Cribrator iterum ridet. *ibid.* projectum de apiariis facit. v. *Apiarium.* Parochorum Croaticorum simplicitate res Ecclesiarum pereunt. 166. suffraganeos in quavis Civitate

Digitized by Google

tate pro contractibus ineundis habeant. *ibid.* et solvant. *ibid.* hoc quoque Cribratori ridiculum videtur. *ibid.* Parochos a simplicitate absolvit. *ibid.*

Emporium. Parochi in cathedra candelas vendunt, et revendunt. 168. mysterium Cribrator explicat. *ibid.* et piam hanc nundinationem condemnat. *ibid.*

Episcopi. Caveant falcem in messem Archidiaconorum immittere. 122. dioecesim sexto quoque anno visitent. 125. non secundo, uti Tridentinum ordinat. 126. Canonicos doctos eligant. 124. Praebendarios in partem laborum vocent. *ibid.* domesticorum manibus invigilent. 127. Sunt enim viscosae *ibid.* Schismata in processionibus non faciant. 123. Episcopi Hungariae Regulationem Szabadhegyianam pro norma assumant. 178. Secus lumen solis non orietur in dioecesibus eorum. *ibid.*

Episcopus Zagrabiensis laudatur a Szabadhegyio. 38. an id ei placere potest? *ibid.* margarita in luto. 39. Christus inter duos latrones. *ibid.* amat bene facere, sed non tuba cani. *ibid.* haec est ejus laus maxima. *ibid.* pro ritu Romano stat. 104. 158. aliter tamen sentientes non odit. 104. etiam sine Szabadhegyio conveniet cum Canonicis. *ibid.* Synodum celebrat. 175. in figura. *ibid.* v. *Episcopi.*

F.

Feminae v. *Mulieres.* item *Canonici.*

Ferk Andreas. Capituli Ablegatus ad Comitia Regni. 72. divertit Viennam *ibid.* illic Candidatos ab Episcopo propositos denigrat. 73. an id de Cojudice Tabulae judiciariae supponi possit? *ibid.*

Digitized by Google

ibid. Cribrator rotunde negat. *ibid.* et Szabadhegyium maledicum appellat. *ibid.*

Fogassi latine *dentatus*. 23. est naturalis Croata. 121. indivisus Szabadhegyii sodalis 19. et satelles. *ibid.* ejus eruditum opus notis illustrat. 17. Scarabaeus in alieno stercore. 23. Fit Coapostolus Szabadhegyii. 121. et Legislator *ibid.* Dioecesim Zagrab. reformat. *ibid.* Cribrator ridet. 17. eum paterne monet, et domum remittit. 179.

Francica, olim Episcopus Zagrabiensis. 100. felicia sub eo tempora *ibid.* magni crateres sub eo in mensis Canonicorum regnabant. *ibid.* vinum piperatum loco coffeei. *ibid.* piper substitutum zachari. *ibid.*

Fundus Religionis. Ens vita carens. 11. nec cor habet, nec oculos *ibid.* pulcra doctrina pro Croatis debitoribus. *ibid.* Natus sub Leopoldo I. 183. sub Carolo VI. infans. 184. sub M. Theresia adolescens. *ibid.* sub Josepho II. vir. 185. nunc senescit, et sensim — moritur. 59. medicina a Francisco II. petitur. 187. secus Parochi de Congrua desperabunt. *ibid.*

Fures. v. *aeditui, campanatores.*

G.

Graeci v. *Judaei.*

H.

Homo fit Szabadhegyius. 18. an homo in belluam transformari possit? *ibid.* an femina homo? 108. pulcra consequentia pro Canonicis. *ibid.* etiam Parochis. *ibid.*

I.

Josipovich Joannes Canonicus amatur ab omnibus, vituperatur a Szabadhegyio. 76. aliquid de latra-

Digitized by Google

tratu canis et luna. 77, estne Schismaticus, qui ordinem in processione turbat? magnum problema. *ibid.* rarius in choro videtur. *ibid.* est senecio septuagenuario major. *ibid.*

Judaei et Graeci ceram e Croatia effemunt. 164. inde cereorum defectus in Ecclesiis. *ibid.* visitentur in limitibus. *ibid.* Ecclesiae obequitatores servent. *ibid.* hoc Szabadhegyius proponit. *ibid.* Cribrator sibi cogitat, quod debet. *ibid.* laus Judaeorum. v. *Taberna.*

K.

Koosz Franciscus per fenestram saltat ad Canonicatum. 74. vir doctus et exemplaris. *ibid.*

L.

Libelli sine authoris nomine Reip. perniciosi. 6. Ita jam Trajanus sensit. *ibid.* qua via Szabadhegyianae calumniae ad aulam penetrarunt? *ibid.* famosos libellos spargere decetne Civem? *ibid.* vel etiam fovere? *ibid.* Alloquutio ad Proceres et Nobiles Regni Croatiae. 9. non tamen omnes. *ibid.*

Loth nostri seculi Szabadhegyius, transformatur in statuam. 111. sed qualem? *ibid.* cur non salis? *ibid.*

Ludimagistri. Parochos absentes in synodo supplent. 175. Sunt intimi Parochorum Ministri et Consiliarii 177. vocem canoram habent. *ibid.* merito *Clarissimi* vocantur. *ibid.*

M.

Magistratus politici Parochis assistentiam praebeant, quoties daemonia e Seculáribus ejicient. 153. Seculares diebus vetitis carnes comedunt,

Digitized by Google

etiam ludunt. 154. idem faciunt Sacerdotes *ibid.* ferro et igne opus, *ibid.*

Mandics Antonius Canonicus, Consiliarius. 69. quid honestius, expelli e cubiculo, vel recipi? 70. omnibus placet, *ibid.* cur non et Szabadhegyio? *ibid.* secreta pandit. 71. Szabadhegyius affirmat, *ibid.* an credibile? *ibid.*

Millassinchich Francisci domus perpluit. 78. caemento opus. *ibid.* an ut hiatus domus, vel os calumniatoris obstuatur? *ibid.*

Mulieres. Canonici in mulieres patrimonium Christi consumunt. 105. Cribrator irascitur. 107. ira defervescit et jocatur. *ibid.* Cur mulieres a Deo creatae? 108. Eva et serpens. *ibid.* Sodoma et Gomorrha. v. *Zagrabia.* An Parochi feminas in domo non habent? *ibid.* Szabadhegyius de castitate Canonicorum sollicitus. 138. legem Spartanorum renovat. 140. eam Cribrator explicat. *ibid.*

N.

Nobiles. Cur Nobiles Croatiae suum Capitulum non defendunt? 7. quid est Capitulum? 9. omne regnum in se divisum peribit. 12. Stephani Bani Congregatio Parochis favet. 118. sed non Nobilibus. *ibid.* An soli Nobiles ad Canonicatus evehendi? 141. vid. *Capitula.* An Parochi Nobilibus gratis servire debent? 193. id Cribratori paradoxum videtur. *ibid.*

P.

Parochi in Croatia, eorum *laudes* secundum Szabadhegyium. 39. Deo utiles et sibi. *ibid.* Regis et Subditorum corda in manu habent. 40. Sunt Apostolorum successores *ibid.* plus intelligunt, quam Canonici, *ibid.* plus meriti, quam sanctis-

Digitized by Google

ctissimus Papa. *ibid.* esuriunt, et sitiunt. 44. Regi supplicant, et — minantur. 45. asylum in Moscovia et India quaerunt. 40. 45. 145. vide *Congrua.*

Eorum *Praerogativae*; ad fora Romana libere recurrunt. 125. cum Rege immediate correspondent. *ibid.* Vicecomitis charactere insigniuntur. 147. ideo *Admodum Reverendi et Spectabiles. ibid.* ante Canonicum decusso petaso stare non tenentur. 148. os libere aperiunt. *ibid.* nodis et dependentiis a Capellanis distingui debent. 149. malitiosum de viridi caputio Cribratoris projectum. 150. qui simplex est, potest sibi suffraganeum constituere. 165.

Eorum *Officia*, in Bekes et Palendrana ne incedant. 150. nec mercantiliter, nec seculariter. *ibid.* ergo mercatores non sunt Seculares? *ibid.* Capellanos ut fratres tractent. 152. Secularibus de mysteriis fidei disputantibus os occludant. 167. Sacerdotes *taliter qualiter* credentes Consistorio commendent. *ibid.* sint hospitales. 146. quando hospiti limen monstrare expedit? *ibid.* munditiem servent in et sub talari. *ibid.* Zagrabiae apud Pillistaeos, Amoraeos, Jebusaeos, et Gergezaeos ne divertant. 140. Baccho ne litent, neque Astarti. *ibid.* praeservativum horum generalis Cleri caupona. vid. *Taberna.*

Eorum *Consolatio.* Cribrator in eorum auxilium properat. 13. pellem leonis asinis detrahit. 65. eorum causa fit melancholicus. 58. suspirat et angitur. 119. pro iis apud Regem intercedit. 181. viam ad felicitatem ostendit. 191. nihil quaerit, nisi ut ametur. 204. potestne hoc sibi promittere? *ibid.*

Parochiani singuli Parocho solvant florenum. 115. quare saxum citius movetur, quam rusticus? 118.

Digitized by Google

118. justum tamen est, ut aliquid solvant. 191. Cribrator proportionem facit. 196. nec Nobilibus parcit. 202.

Passer vide *Szabadhegyi.* eo periculosior, quia domesticus. 28.

Patibulum. Poenitentibus Zagrabiam ire, idem ac ad patibulum trahi. 131. jus absolvendi datur 50 Archidiaconis. *ibid.* ita 50 patibula erigentur, Cribratoris malitiosa consequentia. *ibid.*

Poenitentes vide *Patibulum.*

Poenitentiarii sunt Canonici Zagrab. 91. eorum officium est sarcinas e dorso deponere *ibid.* monitum ad Szabadhegyium. *ibid.*

Popovich Franciscus Praepositus in sepulcro turbatur a Szabadhegyio. 76. non tamen se invertit. *ibid.*

Praebendarii Zagrab. fundati a Capitulo. 89. cur? *ibid.* e nova villa, sicut ex Aegypto educuntur. 142. Canonicorum domus occupant. *ibid.* Cum Canonicis fraterne dividunt. *ibid.* Controleria Canonicorum. 124. testes castitatis. 139. Ens medium inter Canonicos, et Archidiaconos. 176. titulum *Quasi-Reverendissimi* habent. *ibid.* Parochis liberam mensam dant. 144. Cribrator petit veniam. *ibid.*

Proceres v. *Nobiles.*

Procurator generalis. Ejus officium resuscitatur. 160. Parochos contra Seculares viriliter defendit. *ibid.* fures exterminat. v. *custos, campanatores.* quis salarium ei solvet? 161. periculosa pro Parochis quaestio. *ibid.*

R.

Religio Catholica in Croatia exstirpabitur. 156. unicum remedium in Collegio S. Apollinaris v. *Roma.* Rusticus in Croatia materialiter credit. 167.

Digitized by Google

167. Nobilis formaliter disputat. *ibid.* Sacerdos taliter qualiter adorat. *ibid.* opportunum tot malis remedium. *ibid.*

Ritus Ambrosianus hiulcus. 157. Romanus sanior. *ibid.* Episcopus et Capitulum disputant. 104. 158. uterque gravia argumenta pro se habet. *ibid.* viri sapientes convenient intra se absque Szabadhegyio. *ibid.*

Roma. Romanus Pontifex minus de Ecclesia meritus, quam Croatici Parochi. 40. Cribrator ridet. *ibid.* Parochi Croatiae cum sede Romana correspondent. 125. Collegium S. Apollinaris Croatis iterum aperiatur. 156. Secus actum de Religione Catholica. *ibid.* Cribrator glossam addit. *ibid.*

S.

Sebastianovich Canonicus, magnus poeta. 74. in Fogassio Zoilum habet. *ibid.* cum Diis et Deabus conversatur. *ibid.* vae, qui Poetam laedit. *ibid.* idem est, ac bellum Diis indicere. *ibid.*

Stola. Eam Szabadhegyius tollit. 115. matrimonialem tamen ex speciali gratia relinquit. *ibid.* Cribrator nec huic parcit. 193. aliud tamen aequivalens proponit. *ibid.*

Synodus Zagrabiae celebratur. 175. Szabadhegyianae Constitutiones acceptantur. *ibid.* Ordo Sessionis et novi tituli pro Clero stabiliuntur. 176. Etiam Ludimagistrorum, Aedituorum, Campanatorum ratio habetur. 177. Acta Synodalia cum Episcopis Hungariae communicantur. *ibid.* S. Wolfgangus e Directorio Dioecesano expungitur. *ibid.* substituitur commemoratio SS. Apostolorum Szabadhegyii et Fogassii, *ibid.*

Szabadhegyi Hieronymus. Non est Hungarus, sed Croata. 121. Projectans. 31. Legislator. 121.

Digitized by Google

Reformator Dioecesis Zagrab. *ibid.* distinguendus tamen ab Authore *Everberationis.* 29. pulcra similitudo inter passerem domesticum, et extraneum. *ibid.* fit homo et civis. 18. 19. deinde baptizatur. *ibid.* officia Christiani et Parochi ei explicantur. 19. 20. ad grammaticam mittitur. 21. in logica initiatur. 22. tantus homo Capitula destruit. 60. Canonicos Zagrab. dispergit. 61. feralem iis ictum impingit. 64. ignem et flammam vomit. 64. 79. Capitulum ardet. 105. et Zagrabia. 111. ex tantis ruinis arcem pro Parochis aedificat. 46. sed heu! et haec corruit. 49. 119. Cribrator cum eo familiariter loquitur. 22. ei irascitur. 77. 64. 84. in fine in gratiam redit. 179.

T.

Taberna generalis Cleri Zagrab. erigitur in medio Capituli. 169. Ei ex Ecclesiasticis praeficitur vir probus et ceteris doctior. 171. Ejus titulus *Venerabilis Caupo. ibid.* Taberna haec est Bethlehem Croatiae, Sanctuarium Cleri, Schola virtutis, Patuaria Capellanorum. 172. arx mulieribus inaccessibilis. *ibid.* novum hoc Szabadhegyii institutum an Judaeis Hungaricis debeatur. 173. aliquid de immundis animalibus. *ibid.*

Taisperger Josephus, Lector, acuti ingenii. 66. Poma discordiae jacit inter Canonicos *ibid.* Colitur et amatur a Canonicis. *ibid.* in Trasibulo aemulum habuit. 68. qui jam sepultus est. *ibid.* Candidatus pro Episcopatu. 69. Haec una res calumniatoribus os obstruit. *ibid.*

Tituli. v. *Synodus.*

V.

Vice-Archidiaconi pondus totius Dioecesis in dorso habent. 131. suis equis proficiscuntur. *ibid.*

Pa-

Digitized by Google

Parochos mensa excipiunt. *ibid.* Omnia in nomine Domini. *ibid.* nec cruciferum accipiunt. *ibid.* jure tamen violacei coloris tibialia gestandi gaudent. 176. et hoc in periculo est. 130.

Z.

Zagrabia. Urbs magna. 111. in ea Pillistaei, Amoraei, Jebusaei, et Gergezaei habitant. 170. Parochis et Capellanis periculosa. *ibid.* Sodoma et Gomorrha. 111. ignis de coelo pluet. *ibid.* Magistratus syringas et situlas paret. *ibid.* portas Capituli versus Civitatem obmurari curet. *ibid.*

Zagrabiensis Capitularis Civitas. Sancta Civitas. 170. Terra Chanäan. 142. lacte et melle fluens. 144. urbs Sion. 138. pulcrum odorem spargit. *ibid.* novae Colonias ingrediuntur. v. *Praebendarii.* Ejus ornamentum Ecclesia Cathedralis et — Caupona Cleri generalis. v. *Taberna.* Diversoria 28 numerat. 100.

FINIS.

Digitized by Google

Errata.

Pag.	4	Lin.	3. conjiciuntur	*lege* conjicitur.
—	7.	—	10. dehine	— dehinc.
—	17.	—	6. *Szabadhegyii*	— *Szabadhegyil*
—	23.	—	27. laccessere	— lacessere.
—	89.	—	1. Historiae	— Historia.
—	106.	—	2. inuti	— inuri.
—	109.	—	22. *altertive*	— *alterive.*
—	110.	—	7. suffragaretur	— refragaretur.
—	128.	—	16. adultari	— adulari.
—	128.	—	20. vei	— vel.
—	164.	—	12. Ecclesiatum	— Ecclesiarum.
—	172.	—	18. ab	— ob.
—	195.	—	6. stabiliti	— stabiliri.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z176506602
Digitized by Google